30, Rue de l'Ecole de Médecine
et Cour du Commerce, 32
A.re COCCOZ, LIBRAIRE,
Achette toutes sortes de Bibliotheques &
parties de Bibliotheques au Comptant.
Fait les Echanges &c.
PARIS

2360

EPB/B
5433A/B

FLORIS JACOBI VOLTELEN,

MED. DOCT.

DIATRIBE,

MEMORABILEM SEPTENNIS APOSITIÆ HISTORIAM

EXHIBENS.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30499744

55150

FLORIS JACOBI VOLTELEN,

MED. DOCT.

DIATRIBE,

MEMORABILEM SEPTENNIS APOSITIÆ HISTORIAM

EXHIBENS.

Lugduni Batavorum & Trajecti ad Rhenum,

APUD { SAMUELEM ET JOANNEM LUCHTMANS, ET ABRAHAMUM VAN PADDENBURG.

MDCCLXXVII.

O prodiga rerum
Luxuries, nunquam parvo contenta paratu,
Et quæſitorum terra, pelagoque ciborum
Ambitioſa fames, & lautæ gloria menſæ,
Diſcite, quam parvo liceat producere vitam,
Et quantum natura petat.

LUCANUS Lib. IV

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE
WELLCOME HISTORICAL MEDICAL



SERENISSIMO. CELSISSIMOQUE.

ARAUSIONIS. ET. NASSAVIÆ.

PRINCIPI.

GUILIELMO V.

SEPTEMPLICIS. BATAVORUM. CIVITATIS.

TERRA. MARIQ.

GUBERNATORI.

HE-

HEREDITARIO.

REIPUBLICÆ. STATORI.

BONARUM. ARTIUM. EXISTIMATORI.

PIO. FELICI. SAPIENTI. JUSTO.

Hunc qualemcunque ingenii fœtum

Omni, qua Batavum decet
pietate & obſequio
dicat ſacratque

FLORIS JACOBUS VOLTELEN

PROŒMIUM.

Serius, quam par eſt, hæc tandem in lucem prodit Diatribe, ſingulariſſimam Vleutenſis feminæ hiſtoriam continens: ſatis cito tamen, modo ſat bene. Pleniorem rei narrationem dari haud poſſe, affirmare equidem auſim. Cuncta enim, quæ factum ſpectant, ex ore ipſius mulieris, tum mariti, & Paſtoris, & Chirurgi Vleutenſis, & centum forte aliorum teſtium hauſta, examine diverſis temporibus repetito probata, tumque inter ſe diligenter comparata ſunt. Nec eſt, cur hiſtoriæ fides multis verborum ambagibus anxie ſollicitetur, tam evidentibus quippe veritatis criteriis munita, ut nul-

lum usque ſupereſſe dubium queat. Illud autem gravius videri nonnullis poſſit, quod multoties in phænomenis interpretandis & extricandis ignorantiæ confeſſionem pro certiori affirmandi ratione attulerim. Sed humanæ conſcii imbecillitatis ſatius duximus cavere, ne quid temere, aut ignorantes affirmaremus, quam per tenebras offendere, & abortivos luxuriantis ingenii fœtus, ſub vana eruditionis oſtentatione, excludere. *Neque* enim *nos omnia ſcire putemus, quod Dei eſt; neque omnia neſcire, quod pecudis; eſt aliquod medium, quod ſit hominis, ſcilicet ſcientia cum ignoratione conjuncta & temperata.* (Lactant. III. *de falſa ſapientia.*)

Scribendi puritatem & elegantiam in pagellis hisce deſiderari, dictionemque barbariſmorum forte ſordibus, quæ Latinas offendant aures, inquinatam

pas-

paſſim eſſe, non ſine dolore agnoſco. Quotusquisque vero in tanta hercle! doctrinæ medicinalis ubertate, cui pro dignitate excolendæ vix vita hominis ſufficit, utiliſſimis ſuaviſſimisque Grammaticæ & Critices præceptis ita incumbere valeat, ut veram veterum ſcribendi elegantiam & ſubtilitatem recte imitetur? præterquam quod ſub aſſidua pæne librorum, ſemi-latine ſcriptorum, lectione, impuritatis vitia, veluti contagione quadam, contrahantur. Hoc etiam accedit, quod technici, qui dicuntur, termini, utut rudes & improprii, non tamen absque obſcuritatis & perverſi intellectus metu omitti aut mutari queant. Durior ſane illa eſt FACCIOLATI ſententia, qui elegantiam orationis & vim cogitationum tam arcto vinculo putat conjunctas, ut neutra eſſe ſine altera poſſit, illaque neglecta, hæc

quo-

quoque neceſſario pereat. Jam olim leniorem æquioremque ipſe tulit CICERO, poſſe fieri faſſus, ut aliquis recte ſentiat, neque tamen, quæ recte cogitavit, polite eleganterque eloqui poſſit.

Materiæ argumenta ſex titulis complexus ſum: I. facti hiſtoriam exhibet. II. tentamina in muliere inſtituta recenſet. III. internam ſecti poſt mortem corporis conſtructionem ſiſtit. IV. *αἰτιολογίαν* tradit. V. quæ ad illuſtrationem phænomenωn facere videntur, habet. VI. denique exempla quædam enumerat.

Ornant libellum tabellæ anatomicæ tres, in quibus affectarum partium ſitus cernitur expreſſus: quo ornamento caruiſſet, niſi Cl. LUCHTMANS, Præceptor quondam meus, de me optime meritus, clamoſas inter rixas, quas ſuperſtitioſæ Vleutenſes feminæ

minæ nobis, anatomen facturis, movebant, obfirmato animo magnaque diligentia, feſtinante licet ſtilo, partes delineare ſuſtinuiſſet, pictasque pro ſingulari ſua erga me benivolentia mihi obtuliſſet; quod ſane munus perinde atque alia bene multa, quæ in me contulit, beneficia (inter quæ jucundiſſimi per ſuperiorem Germaniam itineris, in quo me ſibi ſocium adſciscere optimo Viro placuit, non ſine voluptate ſæpius recordor) grato pectori infixa hærent, nec unquam memoria excident.

Sanctiſſimum denique pietatis officium me movet, ducit, compellit, ut tuas, acutiſſime HAHNI! meritas laudes publice celebrem. Te præceptorem incomparabilem, ſtudiorum moderatorem prudentiſſimum, ſuaſorem fideliſſimum, amicum integerrimum, fautorem atque patronum eximium lætus,

gra-

gratus veneror: quibus titulis quid mihi honorificentius eſſe poteſt? Verba quæro, quibus immenſum beneficiorum cumulum, quem mihi per plures annos tam largiter, tam candide extruxiſti, & ardentiſſimum animi mei affectum declarare poſſim; at quæro fruſtra. Hæc eloquium excedant, nullo tamen delebuntur die; ſed perenne nec interiturum gratæ ac devotæ mentis monumentum in omni, quæ ſupereſt, mea vita poſitum habebunt.

DIA-

DIATRIBE MEDICA

MEMORABILEM SEPTENNIS APOSITIAE HISTORIAM

EXHIBENS.

CAPUT PRIMUM.

Rei Narratio.

§. I.

In vico *Vleuten-Harmelen*, haud procul ab urbe *Rheno-Trajectina* ſito, nata eſt die 22° Septembris anni 1724. mulier quædam, cui nomen MARIAE fecerunt parentes GYSBERTUS VAN DYCK & JOHANNA

VAN RIT. (Ita retulit *Paulus de Byleveld*, vir reverendus, pagi illius Paſtor, ex tabulis eccleſiæ Romano-catholicæ. Fecit enim rarisſima hiſtoria, ut, quicquid ad eandem attineret, diligenter perquiſitum ſit.) Nupſit hæc æſtate anni 1761. Sarcinatori cuidam JOHANNI DE GROOT, atque ex eo gravida facta primum, anno ſubſequente, peperit infantem; exeunte anno 1766, tertium, hactenus bene valens.

Menſe autem Maji 1767, quum ſororem morte ereptam acerbe lugeret, terrore ac mœſtitiâ agitata, incidit primo in languorem ac nervoſam quandam corporis ægritudinem. Hanc dein preſſo pede ſubſecuta ſunt graviſſima quævis hyſterîæ ſymptomata: ructus, flatus, borborygmi, convulſiones, leipothymiæ, tormina ventris atrociſſima; accedente nonnunquam vomitu materiæ ſanguinolentæ, interdum verminoſæ. Sic debilis valde atque infirma omnem omnino ciborum appetentiam ſenſim paulatimque amiſit; *coffeæ* tantum cum *lacte* potu vitam trahens luctuoſam.

Nihilominus infantem, dum vivebat, lactavit, aluitque, donec is viceſimo & altero ætatis menſe variolis correptus periit. Nova hinc dolendi cauſſa.

In-

Increvit interea hæcce debilitas in dies: tandemque menſe decembris 1768. viribus usque adeo fuit exhauſta, ut exanimis jacuerit per tres ſeptimanas, velut in ſyncope, ſine ſenſibili pectoris & arteriarum motu, nihil plane cibi potusve aſſumens. Cumque deinde paulatim ad ſe rediiſſet, nihil, præter hauſtulum aquæ, primum in ore ariſſimo tulit, dein etiam depulit.

Debilitatem auxerunt frequentes inſuper & impetuoſæ narium uterique hæmorrhagiæ. Quibus effectum eſt omnibus, ut neque membris uti, nec inſiſtere pedibus potuerit. Tali ſtatu degit fere per triennium; nec ante æquinoctium vernum 1770. vires recuperavit, & ambulare ſola didicit: quo tempore tumor genu dextri, quem per prægreſſam conceperat hyemem, paulatim evanuit, crure ante emaciato ſenſim robur recuperante.

Sub finem morbi etiam alius quispiam tumor, dein in apoſtema tranſiens, obſederat dextram lumborum partem, juxta ipſas vertebras, qui utrum a diuturno decubitu, num vero a vi illata (uti dictum fuit) ortum traxerit? incertum. Sanatus interim fuit, facta puris evacuatione.

Interea quoque *lac* & *coffeæ* potum cœpit reſpuere; nec tamen cibi quicquam, faſtidio impedita, ingerere,

rere potuit; ſed ab eo tempore ad vitæ finem usque, adeoque per ſexennium fere (nam annum & ultra *coffeam* biberat) ſolâ vixit *aquâ*, *Theæ*, ſubinde & *croco*, ſed rarius, infuſa; *ſaccharo*; & parcâ *ſpiritus juniperini* copiâ; illibata nihilominus fruens ſanitate; eoque robore, ut pedibus ſuis abs domo ad urbem, quæ bihorium circiter diſtat, ire ac redire potuerit.

Cæterum, ſacchari loco, bolis iſtis (*), qui apud vulgum noſtratem familiari ſunt in uſu, ex eodem tamen liquato & cum farina in formam tenacem redacto paratis, vilioris pretii ergo uti frequenter ſolebat.

Nec omitti debet, eam quotannis, quater plerumque, Romano-Catholicorum more, *Sacratam Hoſtiam* a Sacerdote accepiſſe & deglutiiſſe.

Tabaci quoque ptarmici uſus ei erat in deliciis.

Alvus inde a feſto paſchatis 1770. non dejecit; interdum tamen materiæ mucoſæ nonnihil excrevit. Accidit ſemel, ut poſt medicamentum ſumtum ex ano duri aliquid emiſerit.

Menſium evacuationes quandoque nullæ, interdum copioſæ, fuerunt. Ultimo prodierunt menſe Apri-

(*) *Zuikerballen* vel *babbelaars* vocant.

Aprili a. 1774. cum per ſex menſes antegreſſos ſuppreſſæ penitus fuiſſent.

Semel quotannis, Majo menſe, vena ei ſecta eſt: hinc melius habuiſſe, & artuum dolores, quos ſubinde patiebatur, fuiſſe mitigatos aſſerebat.

Habitu corporis erat gracili, macilento, nec tamen inſueto; ſtatura brevi; bilioſo, ut vocant, temperamento.

Color faciei flaveſcens. Oculi concavi quidem, attamen nec triſtes, nec ſplendore deſtituti. Cutis arida.

Animus patiens, ſæpe hilaris & jocoſus.

Vitæ neceſſitates ſibi ſuisque comparabat paupercula domeſticis operibus peragendis; repurgandis domibus; vaſis reliquaque ſupellectili lavandis mundandisque; quod quidem mulierculis noſtris Batavis, munditiæ (odioſæ ſæpe, ac nimis exquiſitæ, ut loquitur CICERO) ſtudioſiſſimis admodum eſt ſolenne. Dumque ipſa cibum, qui in partem mercedulæ diurnæ cedere ſolet, capere nequaquam poterat, filiolam, vice ſua eſuram, ſecum ducebat.

§. II. Atque hæc apud domeſticos non tantum, aut familiares, ſed apud Chirurgum, ipſumque Paſto-

rem ejus confeſſarium (*biegt-vader*), ſed apud omnes, quotquot erant, accolas, adeo nota erat & pervulgata res, ut uno omnes ore aſſeverarent, nec ullum de facto cuiquam ſupereſſet dubium.

Accidit tandem, ut Venerandus *de Byleveld*, quum Cl. HAHNIUM, conſilium de recuperanda valetudine petiturus, adiiſſet, in ſermonem forte de femina hacce inciderit. Audita re, ejusque novitate permotus Vir Clariſſimus, uti eſt *acer inveſtigator, & diligens earum rerum, quæ a natura involutæ videntur*, (loquor cum CICERONE (*a*)) ita quoque veritatis amantiſſimus, mulierem mox arceſſivit, quid rei eſſet, examinaturus. Sic factum eſt, ut ineunte anno 1771. primum *Trajecti* per aliquot dies commorata ſit. Quoniam vero tunc temporis, ob cauſſas, poſthæc memorandas, exploratiſſima nondum eſſet veritas, dimiſſa mulier fuit. Quicquid proinde in *novellis publicis Trajectinis* ad dies 13 & 15 Februarii a. 1771. tunc de ea relatum fuerit, inſcio Cl. PRÆCEPTORE, factum fuiſſe monemus.

§. III. Res interim nova obſervatione omnino vide-

(*a*) *In Timæo* Cap. I.

videbatur digna, eo imprimis conſilio, ut propriis etiam teſtimoniis confirmatum ſingulare perquam aſitiæ exemplum tutius dein evulgari in publicum poſſet.

Quapropter iterum ad nos acceſſit anno 1774. 14° Maji, manſitque ad 4^{m} Junii: & in ædibus *Hortulani Academici Trajectini* ſedulo cuſtodita, ita tamen, ut etiam per hortum medicum obambulare, ſi libuerit, ei liceret, tentaminibus noſtris ſeſe ſubjecit; quorum eventus *Cap.* II. memorabo.

Sic demum ſatis ſuperque perſpeximus, quicquid de re ſua & ipſa, & maritus, & alii, prædicaverant, verum ſincerumque fuiſſe. Nulli proinde dubitavimus ei, quod promiſeramus, dare teſtimonium.

Hoc jam cum eſſet munita, negotium ad lucrum revocare cœpit; & *Trajecti* primum, paulo poſt *Amſtelodami*, nundinas adiit, hominibus, hoc, præ cæteris, tempore, admodum curioſis, parata pecunia, ſpectandam ſeſe præbens.

Poſtquam vero illic cum marito aliquamdiu degerat, incidit uterque in continuam febrim, absque prægreſſa manifeſta cauſſa, ut adeo domum repetere cogerentur; quo non ita diu redux mulier, quam a fame tueri ſine cibo didicerat, a morte neſciebat, vitam, ut acceperat, jejunam reddidit,

 nocte

nocte 29. Septembris anni 1774. exactis poſt annum ætatis quinquageſimum ſeptem diebus.

Stat ſua cuique dies, ſtat adulti terminus ævi,
Et ruit in cinerem, quod fuit ante, cinis.
Lege ſub hac dubium vitæ mundique theatrum
Scandimus infantes deſerimusque ſenes.
Ulterius nihil eſt: huc ſerius ocius omnes
Tendimus; hoc properant Croeſus & Irus iter.
Ulterius, licet ipſe ſacras Podalirius herbas
Miſceat, aut vana venditet arte magus,
Quidquid agyrta levis magno promittat hiatu,
Nil, quo mortales progrediantur, habent (b).

❋ ❋ ❋

Omnibus eſt eadem leti via, non tamen unus
Eſt vitæ cunctis exitiique modus (c).

§. IV. Cadaveris anatome, ægrius impetrata, quid exhibuerit, *Cap.* III. indicabo.

(b) VAN ROYEN *de corporis animique moderamine.*
(c) CORN. GALLUS *Lib. Eleg.*

CA-

CAPUT ALTERUM.

De iis, quæ cum femina fuerunt geſta.

§. I.

Duplex potiſſimum finis fuit experimentorum, circa mulierem hancce factorum: Veritatis ſimplicis ſtudium; & curioſa Naturæ contemplatio (*d*).

Illam confirmavit commoratio feminæ, intra debitos cancellos circumſcripta: hanc adjuvit exacta ingeſtorum & excretorum inquiſitio: præſtitit utrumque diſſecti cadaveris autopſia.

Quamvis enim res teſtium fide eſſet certiſſima; neque aſtutæ fraudis ulla vel ſuſpicio vel verior eſſet ratio: ecquid illam ſimulatâ abſtinentiâ confectatam fuiſſe putemus? An lucrum? quod ante hæc non quæſiviſſe omnibus in propatulo eſt. Num ne potius Sanctitatis quandam ſpeciem? qualem affectavit nunquam. An denique pro miraculo,

(*d*) „ Non opinandum, ſed certo & oſtenſive ſciendum; „ neque diſputandum, ſed experiundum, quid Natura faciat, „ aut ferat? " BAGLIV. *Prax. Med.* ex BACONE DE VERULAMIO pro more ſuo.

lo, divinitus ſuſtentato, obtrudere ſeſe maluiſſet? Aut ſagæ perſonam agere, vafrisque incantamentis quosvis obcæcare ſuſtinuiſſet? At ſæculum, quod vivimus, meliora ſapit, nec ludibriis hiſce miraculoſis magicisve amplius delectatur (*e*): ſed ideo rem nobis indagandam eſſe eo magis ſumus arbitrati, quo ſæpius, quia rariſſima eſt, nec ratione facile percipitur, ex iis eſſe, quæ fieri non potuerint, judicatur. Quæ certe ſumma inſipientia eſt; aſſentiente etiam Ill. HOFFMANNO (*f*).

§. II. Veruntamen diffiteri equidem nolo, plurimas, quæ exhibentur, narratiunculas doloſæ eſſe fidei, aniles fabellas, præſtigias, incauto creduloque vulgo capiendo mire adaptatas: cujusmodi exempla bene multa collegit C. STALPART VAN DER WIEL (*g*). Ab-

---

(*e*) Doleo ſane, virum, cætera doctiſſimum, candidiſſimum, deque Medicina egregie meritum, Ill. A. DE HAEN Magiam ſuam tam ſuperſtitioſe, quam pertinaciter, nuper fuiſſe tuitum. Sed hæc

- - - - humana parum cavit natura - - - -

Multaque Sapientes facere, qua homines ſunt, non qua ſapientes, cum SENECA judicemus *epiſt.* XC.

(*f*) *diſſ. de potentia diaboli in corpora* in *Oper. Omn.* T. V. p. 94.

(*g*) *Obſervat. rarior.* cent. poſt. Obſ. XV.

Abſit tamen, ut cum eodem exiſtimem, dum ait „ omnes illas de tot annorum inediis narra„ tiunculas non immerito ſuſpectas habeo, firmi„ ter mihi perſuadens ejusmodi a cibo abſtinentias „ neutiquam naturales, nec conſuetudini cuidam „ jejunandi adſcribendas, ſed confictas plane, ac „ falſas eſſe " (*h*).

Concluſio falſa nos non tangit. Cui quippe æque parum tribuimus, atque iſti, quam alio loco profert, ſententiæ dicam, an amentiae? ſcribit enim (*i*). „ Nec negaverim Dæmones nonnunquam circa „ diutinam coöperari abſtinentiam, multa enim „ luce meridiana clarius demonſtrant exempla, „ iſtos illuſiſſe hominibus, quatenus jejunantibus „ edulia ſuppeditaverint ". Additque hiſtoriolam ex DELRIO, de puella, cui Cacodæmon ſub figura avis liquorem aliquem noctu clam per ſeptem dies attulit. Dubites autem, anne idem fortaſſe Cacodæmon boni viri cerebrum tantiſper obnubilaverit?

Audiamus itaque potius, quodnam de hoc judicium fecerit BECCARIUS (*k*), in Academia Bono-

(*h*) *ibid.* p. 156. ed. Lat. Nec aliter B. SWALVE *querel. & opprobr. Ventric.* p. 79.

(*i*) l. cit. p. 151. in fine.

(*k*) Vid. *Comm. de inſtit. & Acad. Bononienſi* T. II. P. I. p. 226. Ubi egregia ejus exſtat diſſ. *de longa cibi potusque omnis abſtinentia.*

nonienſi Chemiæ olim & Anatomes Profeſſor meritiſſimus: „ Multa, inquit, quidem falſa narrantur, ſed non idcirco aut neganda omnia, aut ſi „ quid admirationem magnam afferat, id continuo „ in falſis habendum; ſunt enim quædam veritatis „ notæ, quæ ſi in id cadant, quod vel maxime ad„ mirabile videatur, non erit id negandum prop„ terea quod admirationem moveat, ſed erit po„ tius cum admiratione concedendum; contra „ quam multi faciunt, qui ſi quo in genere, quod „ minus ament, admirabilem rem quampiam nar„ rari audiant, quamque ſe ad ſua ſyſtemata revo„ care poſſe non confidant, hanc ſtatim negandam „ eſſe putant; quorum ſuperbiſſima eſt opinio ".

§. III. Sed, diverticulis relictis, de ſemita in viam revertor; iisque, unde orſus ſum, prolixius enarrandis me accingo.

Quum ſcilicet femina noſtra ſeſe primum *Trajecti* examinandam ſiſteret, acceſſit die quarto Februarii 1771: & manſit in diem usque nonum. Quo tempore ſequentia de illa notavit Cl. HAHNIUS: „ Die 6° bibit 34 vaſcula Theæ cum pauxillo cro„ ci: ſingula fere duas uncias æquabant. Uri-

„ næ

„ næ pondus fuit 56 unc. Die 7° hauſit 27 vaſcula:
„ & minxit unc. 52. Die 8° ſumſit pares menſu-
„ ras 39: minxit 85½ unc. Dietim duas admodum
„ uncias Sacchari, totidemque Spiritus juniperini
„ conſumſit. Nec tamen ſola Spiritu uſa eſt, ſed
„ ejus parte Domeſtici."

Cum vero, qui hujus negotii curam gerebant, minus, quam par erat, attenti eſſent, & cuivis aditum concederent, urgeri hæc non poſſunt.

§. IV. Certiora ſunt, majusque momentum habent, quæ altera vice, ſub auſpiciis Celeberrimi Hahnii, facta nobis ſunt, tentamina; quibus mecum interfuere duo eximii Viri G. Greeve & P. van Lanckom, artem Chirurgicam *Trajecti Batavorum* ſumma cum laude exercentes.

Praeterquam enim, quod tunc animadvertebatur undique diligentiſſime; expendimus etiam in lance, ad hoc negotium apparata, ter quotidie & ipſam *feminam*, &, quod excernebat, *lotium*; notatis ſimul aſſumtorum *Theæ* videlicet, *Sacchari*, ac *Spiritus juniperini*, ponderibus: ut ſic aliquam ſaltem Sanctorianæ perſpirationis notionem haberemus. Qua quidem de re poſtea quid cenſendum ſit? dicam aperte.

Exhibeo interim ſequentem obſervationum ſeriem

PEN-

PENSIONES.

Maji.	*Corporis.*	*Urinae.*	*Inf. Theae.*	*Sp. Jun.*	*Sacch*
16°.	libr.-unc.-dr.	unc. - dr.	unc.	unc.	unc.
mane	97- 6-2	--- ---	----		
meridie	97- 1-2	35 -- 6	18		
veſpere	97- 9-4	7 -- 3	12		
17°.					
mane	97- 2-0	21 -- 0	21		
meridie	97- 0-0	14 -- 4	15		
veſpere	96- 6-4	41 -- 4	18		
18°.					
mane	95- 13-4	27 -- 6	27		
meridie	94- 13-0	16 -- 4	15		triduo con- ſumſit 4
veſpere	94- 8-0	16 -- 0	15		
19°.					
mane	94- 15-0	21 -- 0	30		
meridie	94- 10-0	22 -- 4	12	intra qua triduum hauſit 6	
veſpere	94- 2-0	37 -- 0	36		
20°.					
mane	94- 8-4	30 -- 0	39		
meridie	94- 7-0	19 -- 0	21		
veſpere	93- 11-6	29 -- 0	30		

PEN-

PENSIONES.

Maji.	*Corporis.*	*Urinae.*	*Inf. Theae*	*Sp. Jun.*	*Sacch.*
21°.	libr.-unc.-dr.	unc. - dr.	unc.	unc.	unc.
mane	93 - 8 - 0	25 -- 2	33		4
meridie	93 - 13 - 3	20 -- 6	24		
veſpere	93 - 8 - 0	32 -- 4	30		
22°.					
mane	93 - 0 - 4	32 -- 4	27		
meridie	93 - 3 - 2	21 -- 0	24		
veſpere	92 - 10 - 0	25 -- 0	24	6	4
23°.					
mane	93 - 11 - 0	13 -- 0	27		
meridie	93 - 9 - 4	18 -- 6	15		
veſpere	94 - 0 - 0	22 -- 4	30		
24°.					
mane	94 - 11 - 0	41 -- 0	36		
meridie	94 - 0 - 0	26 -- 4	18		
veſpere	94 - 1 - 4	25 -- 0	24 (*)		

PEN-

(*) Hactenus, adeoque per novem dies, pro infuſionibus ſuis adhibuit uncias quatuor ipſius herbæ Theæ.

PENSIONES.

Maji	Corporis.	Urinae.	Inf. Theae.	Sp. Jun	Sacch.
25°.	libr. unc. - dr.	unc. - dr.	unc.	unc.	unc.
mane	93 - 4 - 4	33 -- 6	24		4
meridie	93 - 13 - 0	10 -- 2	15		
veſpere	92 - 7 - 6	32 -- 0	15	6	
26°.					
mane	92 - 12 - 4	13 -- 4	21		
meridie	93 - 0 - 0	20 -- 7	24		
veſpere	92 - 15 - 4	25 -- 4	30		
27°.					
mane	92 - 9 - 0	33 -- 6	24		
meridie	92 - 14 - 5	22 -- 4	30		4
veſpere	93 - 8 - 0	25 -- 4	30		
28°.					
mane	93 - 2 - 0	34 -- 4	30		
meridie	93 - 4 - 3	23 -- 0	21		
veſpere	93 - 12 - 0	21 -- 5	36	6	
29°.					
mane	93 - 2 - 4	33 -- 0	24		
meridie	93 - 14 - 0	27 -- 3	33		
veſpere	93 - 11 - 4	35 -- 0	36		

PEN-

PENSIONES.

Maji.	*Corporis.*	*Urinae.*	*Inf. Theae.*	*Sp. Jun.*	*Sacch.*
30°.	libr.-unc.-dr.	unc. - dr.	unc.	unc.	unc.
mane	93 - 9 - 0	34 --- 0	42		4.
meridie	93 - 12 - 0	12 - - 1	24		
veſpere	95 - 6 - 0	7 --- 0	36	6.	
31°.					
mane	97 - 0 - 0	25 --- 3	39		
meridie	96 - 4 - 0	19 --- 0	21		
veſpere	97 - 6 - 0	24 --- 0	33		4.
Junii. 1°.					
mane	97 - 0 - 4	45 --- 0	33		
meridie	97 - 1 - 0	24 --- 4	24		
veſpere	97 - 11 - 0	34 --- 6	33	6.	
2°.					
mane	97 - 7 - 0	47 --- 4	33		4.
meridie	96 - 10 - 5	29 --- 2	21		
veſpere	95 - 0 - 0	42 --- 4	30		
3°.					
mane	95 - 0 - 0	31 --- 0	36		
meridie	95 - 7 - 4	10 --- 4	24		
veſpere	94 - 14 - 7	23 -- 6	29		
4°.					
mane	95 - 0 - 0	36 --- 4	30	6.	4.

§. V. Hiſce in ſummam collectis, patet, mulierem noſtram undeviginti nychthemerarum ſpatio minxiſſe uncias 1481. cum dimidia; bibiſſe *infuſionis Theæ* uncias 1502; *Spiritus juniperini* unc. 42; *Sacchari* unc. 36: adeoque eodem tempore fere 100 uncias ultra pondus lotii emiſſi aſſumſiſſe. Potavit itaque quotidie, facta diviſione, *Aquæ* uncias 79 (*l*); *Spiritus* drachmas pæne 18; *Sacchari* unciam $1\frac{4}{5}$ Nec tamen æqualem quovis die portionem Spiritus juniperi, aut Sacchari conſumſit. *Spiritus* uncias duas in die hauſit ſæpius; bis tres; quater ſeſcuncem. Ter ſumſit *Sacchari* uncias quatuor die ſeſqui; plerumque biduum fuit contenta & ſemi diem; triduum ſemel.

Excrevit pariter ſingulis nychthemeris *urinæ* uncias 78.

§. VI.

(*l*) Minima, quam bibit, quantitas fuit unc. 54. (dies enim prima pro integra numerari nequit): maxima unc. 102. nempe 30° Maji die, quo quippe de ingenti queſta erat ſiti, oris ac faucium ſiccitate, vagis horripilationibus, doloribusque, febriculæ junctis: quodque reddebat lotium, dimidium tantum epoti liquidi adæquans, pallidum erat, aquoſum; ſpaſticam proinde renalium cæterorumque vaſculorum conſtrictionem manifeſto arguens.

Urinæ copia maxima fuit unc. 119: minima 53. unciarum.

§. VI. En itaque experimenta, quæ facta ſunt, propoſita fideliter! Quid vero, quo ad perſpirationis negotium, ex iis colligendum, ſi quis petat? Reſpondeo, nihil plane certi, determinati nihil. Varias ineſſe anomalias nemo non videt paulo attentior. Quin fidem haberi *corporis* penſionibus minime poſſe, uti ingenui eſt fateri, ita palam agnoſcere haud erubeſco. Cauſſamne vultis ut indigitem? Occurrunt plures: veſtitam, non nudam, expendimus feminam. Veſtes autem nos decepiſſe ſero vidimus, cum die 31° Maji, nobis inſciis, illas in aqua lixiva lavaſſet, & non bene ſiccatas rurſus induiſſet. Sic enim ſubito pondus auctum eſt. Unde præcipuam cognovimus cauſſam, cur initio longe ponderoſior fuerit, & quotidie aliquid amiſerit?

Accedit, quod tempeſtas humida ſæpe erat & frigida. Non potuit femina in cubiculo retineri; ſed vel per hortum ambulabat, vel domeſticis operibus, ſub dio ſæpe, incumbebat, lavando, repurgando pavimento, & ſimilibus, occupata. Hinc humiditas attracta veſtes graviores reddebat, quæ viciſſim ſuppedanei fotu (*m*) aliquid ponderis amittebant.

Po-

(*m*) Ut mos eſt noſtratium præſertim feminarum peſſimus,

eoque

Potuiſſent hi errores ac debuiſſent evitari; ſed de illis non ſatis cogitatum eſt in principio. Nudam penſare feminam non licebat viris; nec pudor feminæ permittebat. Rem mulieribus committere non poteramus. Spes etiam erat, errores non magnos inde fore; aliave occaſione futurum, experimenta ut repeti poſſent; quod factum eſſet, niſi mors abſtuliſſet. Detecti ſunt ſerius. Remedium ſero inventum: nempe veſtita expendenda, dein veſtes omnes ſeorſim ponderandæ; inde ſubtractio facienda. Sed hoc valde operoſum; & mane quidem ac veſpere, femina lectum tenente, fieri potuiſſet; ſed inter diu tæduiſſet.

Quicquid ſit, conſtat tamen certiſſime, mulierem

---

eoque gravius vituperandus, quo ſibi frequentius ex prava hacce conſuetudine dira quævis ac pertinaciſſima concitare ſolent mala; quæ ſanitatem non ſolum infeſtant, aut ſterilitatem inducunt, ſed, quod durius forte his videbitur, ipſam venuſtatem, inſigne illud ſexus amabilis ornamentum, valde deturpant. Conf. omnino, quæ nervoſe, ut ſolet, expoſuit in *primis* ſuis *lineis de cognoſc. mulier. morb.* §. XI. Præceptor eximius Cl. van Doeveren, morborum, præcipue muliebrium, obſervator ſolertiſſimus; cujus, plurima propter benificia, quibus identidem me proſequi, ſtudiisque meis prodeſſe haud gravatus fuit, gratus nunquam non recordabor.

rem noſtram aliquantum perſpiraſſe, & ſubinde notabiliter.

§. VII. Cæterum, quo tempore nobis adfuit, proſpera ſatis valetudine gaviſa fuit, interdum rheumaticos artuum dolores experta; quibus quum V. S. mederi quotannis affirmaret; hancque præ nimiæ inanitionis metu inſtituere hoc anno negaſſet ejus Chirurgus, eandem a nobis petiit, impetravitque; Me ipſo venam ei ſecante die 3° Junii, poſt meridianam corporis penſuram.

Exſiliit *Sanguis* læte rubens, floridus, pondere unc. 5. dr. 2. *Serum* inde ſeparatum atque expenſum habuit pondus 7. drachmarum. *Inſula* unciarum 4. & dr. 3.

Arteriarum pulſus, ſæpius exploratus, plenus erat ſatisque fortis, ac intra primum minutum a ſexageſies ſexies ad ſeptuageſies quinquies digitum feriebat.

Somnus plerumque inquietus, per ſeptem octove horas protractus.

Cutis ſemper ſicca.

Stimulus ad cibum capiendum plane exſtinctus. Inter epulas verſabatur, nec halitu tamen afficiebatur.

Alvus nihil dejecit. Urinam reddidit vario tem-

pore variam, nunc pallidam, alias flammeam, ſæpius citrinam, ſanam.

§. VIII. Oportet autem aliud quoddam, mirum ſane, phænomenon circa urinam hancce memoraſſe. Servata ſcilicet jam per biennium & ultra fuit, neque tamen ulla alcaleſcentiæ, ne dum abſolutæ putredinis, exhibuit indicia; quamvis utraque, quæ præceſſit, æſtas ardente ſirio opportunitatem ſat magnam conceſſerit. Quotiescunque exploraverim ſive per affuſa acida, alcalina, ſyrup. violarum, ſeu Mercurii corroſivi ſolutionem aquoſam, nunquam tamen minimam mixtionis, coloris, vel indolis ipſius, mutationem detegere potui. Pelluciditatem ſuam retinuit illibatam, abſque ulla materiæ ad fundum vaſis depoſitione. Solam ponderis ſui diminutionem, atque coloris exaltationem, difflatis particulis aquoſis, tenuioribus, ſubiit.

Noviſſimum, menſe Octobri prægreſſo, examen in laboratorio Leidenſi inſtitui, aliique urinæ, diu aſſervatæ, comparavi; non ſine inſigni utriusque diſcrimine.

1°. Hæc quidem odore ſuo acri, nares feriente, pungente, fœtido, alcali volatilis naturam manifeſto prodebat. Illa prorſus erat inodora.

2°. Syrupo violarum hæc colorem fecit amœne viridem. Illa nullum.

3°. Vitrioli ſpiritus cum urina mulieris noſtræ coivit placide, nullas efferveſcentiæ notas armatis etiam oculis præbens. Poſt quatuor & viginti horas excuſſit tantillum materiæ floccoſæ, ſulphureæ, brunæ, ſidentis: liquido ſupernatante coloris longe minus intenſi.

Alterum illud lotium cum eodem ſpiritu efferbuit ſtrenue; odorem ſimul peculiarem ſpargens (non tamen ſulphuris inſtar præcipitati). Elapſis viginti quatuor horis ſimilem depoſuit materiem flocculentam, ſed longe majori copia.

4°. Alcali fixum neutri aliquam induxit mutationem.

5°. Urina feminæ Vleutenſis, ſaturatæ valde mercurii in ſpiritu nitroſo ſolutioni affuſa, hanc turbavit, ac levem quandam fecit præcipitationem: quæ poſt quietem exhibuit pulviſculum citrini coloris, quaſi turpethum minerale, interſperſis hinc inde miculis coccineis. Numne adeo *vitrioli acidum* in ea delituit? Aut ſuperſtes aliqua, quæ recenti competit lotio, facultas efficiendi *roſam* illam *mineralem* ANGELI SALÆ, ſeu *Mercurium præcipita-*

pitatum roſeum Teichmeyeri? (*n*) Dubia propoſitio. De qua plura fortaſſis poſtea dicam.

Interim Urina altera ex ſimili mercurii ſolutione, ceu omnia alcalia volatilia, excuſſit magnam admodum vivi argenti copiam, colore griſeo.

60. Uterque liquor a præcipitatione mercurii (n°. 5.) ſuperſtes, percolatus, nonnullas exhibuit diverſitates:

Qui ab urina Vleutenſi erat reſiduus, limpidus, excolor,

α) Addito lixivio alcalino, demiſit mercurium colore ſubflaveſcente.

β) Inſtillato Spiritu ſalis Ammon. ordin., colore livido. Paulo liberalius affuſus omnem denuo exſolvit.

γ) Eidem ſolutiones ſalis cathartici & mirabilis Glaub. calide immiſſæ levem induxere lacteſcentiam; alba materie dein fundum petente.

Contra liquor alterius mixtionis

α) Per fixum æque ac volatile alcali albiſſimo turbabatur colore; nec mirum.

β) Me-

(*n*) Vid. ejus *Inſtitut. Chem.* p. 208. Et Kleinii *ſelectus rat. medic.* p. 137. Deſcribitur Schrödero in *Pharmac. med. Chym.* p. m. 395. titulo *Mercurii præcipitati incarnati.*

β) Media illa ſalia nihil præoeps dederunt.

7°. Subiit mentem curioſius indagare, numne etiam *nativi* quicquam *ſalis* intus contineret? Quod itaque ſupererat, lotium, per colum chartaceum trajectum, igne leni exhalare ſivi, donec ſpuma ſuperficiem obtegeret: ſic ſibi per biduum (*o*) relictum oleoſæ materiæ perparum dejecit; ſalinæ nihil.

Quæ ſic reſidua erat urina, cum acidis commiſta, nulla tamen præſentis alcali dedit ſigna. Denuo itaque leni ad evaporandum tepori expoſita mellis conſiſtentiam accepit. In quiete perſtitit diu; nihilo minus tamen inquilini, aliusve ſalis, miculas excuſſit nullas. Sed magma quoddam ſpiſſiuſculum, nigricans, oleoſum, retulit. Obſtitit & fortaſſis parcior urinæ quantitas.

(*o*) Non opus eſt per integrum anni ſpatium exſpectaſſe cum magno BOERHAAVIO *Elem. Chem* Tom. II. p. 317. Conf. Cl. SPIELMANN. *Inſtit. Chem.* p. 77.

CAPUT TERTIUM.

Cadaveris Scrutatio.

§. I.

Quandoquidem non Noſtrum tantummodo, ſed omnium, quotquot naturæ ſeſe curioſos profiteantur, ſummopere intererat in tanta rei novitate, num quæ & qualis mutatio in mechanica partium internarum conſtructione acciderit? accuratius reſcire: religionem ſecus fore rati omnem movimus lapidem, ut voti hujus compotes redderemur. Nec defuit hac in parte egregium MAGNI PRÆCEPTORIS auxilium.

Sed, ceu in ſimilibus caſibus evenire ſolet quotidie, magna præjudicii vis, fœcunda illa errorum genitrix, domeſticos & vicinos defunctæ firmiter tenebat. Graviſſimæ ſuperſtitionis figmenta obſederant omnium animos. Tantis cum hoſtibus plus quam Herculeo labore erat dimicandum. Quid mirum! „Non „ eſt enim conſilium in vulgo, non ratio, non „ diſcrimen, non diligentia: ſemperque ſapientes „ ea, quæ populus feciſſet, ferenda, non ſemper „ lau-

„ laudanda duxerunt ", Judice CICERONE (*p*).
At vero ingenuos homines, liberaliter educatos, quibusque

De meliore luto finxit præcordia Titan,

hac eadem oberrare chorda toties cum videamus, quis non gravius doleat? Hac enim perverſa præjudicandi agendique ratione, quanta non detrimenta in Artem ſalutarem, in commune reipublicæ bonum, largo flumine redundant?

Taceo *variolarum inſitionem*, divinum iſtud ſummi Numinis beneficium, mortalibus tam benigne conceſſum, multis tamen, proh! dolor, neglectum & fere odioſum. Modo ne ſerius ſapere, ſibique proprio damno conſulere tandem aliquando diſcant (*q*)!

Nobis interim quamdiu graviſſima, & omni exceptione majora, rationis momenta ne hilum uſque apud hoſce valeant, nihil aliud ſupereſt, quam ut cum

(*p*) *Pro Cn. Plancio*. Cap. IV.

(*q*) Exempla luculentiſſima jamjam præbent civitates *Rotterodamum* atque *Delfum*, ubi ſæva admodum variolarum epidemia, truculentiſſimas ſtrages edens, multos, *inoculationi* minus antea faventes, nunc ad eandem celeriter confugere, & in ipſa demum *inſitione* ſalutem quærere coëgit.

cum excellenti plane Medicinæ decore Ill. P. G. Werlhofio ſic pronunciemus:

Si quis in adverſum judex injurius arti,
Probra Meditrinæ tribuens, altaria morbo,
Commoda confundens nocuis, & recta recurvis,
Exſpuat ampullas, ventis mandamus & undis.
Pars errare volens erret; cladémque ferocem,
Quam generant, toties Libitinæ nuncia triſtis,
Variolæ putres, *malint qui ferre, ferunto.*
Nos, quibus & Ratio & domitrix Prudentia Mortis
Sola Magiſtra placet, docti meliora ſequamur.
Nos, uſu toties totiesque probante, tenemur
Inſerere, *inſtantisque necis vim pellere cauti.*
Si quis (& ah! quot ſunt, quos hic malus obſidet error)
Negligit & renuit bona munera Numinis almi,
(Proh dolor!) his careat! noſtros non ſubruet uſus (*q**).

Quoties non abſtruſæ morborum cauſſæ detegi potuis-

(*q**) Hunc fere in modum quum Magnus Vir Werlhofius circa præjudicatam opinionem præſtantiſſimi illius medicamenti ληξιπυρετȣ, *Corticis* nempe *Peruviani*, ex tribunali merito pronunciaſſet; eundem, eleganti quadam mutatione, ad *Inſitionem Variolarum* tranſtulit Doctiſſ. M. S du Pui, ſtudiorum & amicitiarum ſumma conſenſione, a multis retro an-

tuiſſent, ſi cadavera rimari licuiſſet? Quam aptâ medendi viâ apud alios incedi? Quam multi errores evitari? (*r*) Quid? quod ipſa humanitas alte clamat, potuiſſet quandoque foetus vivus ex mortuæ matris utero extrahi; niſi maritus aliive conſanguinei, impio facinore! humaniſſimo tali conamini turpiter reſtitiſſent (*s*), defunctæ exiſtimationem ſic violari inepte ſomniantes. An vero ab homicidii crimine multum remotos tales cenſebimus?

Utinam Magiſtratus piis Medicorum deſideriis tandem ſuccurrerent, & his fanaticorum ſomniis & deliramentis obicem ponerent (*s**)!

Per

annis, mihi conjunctiſſimus. Quod, ex comparatione Cl. WERLHOFII *tract. de limitanda febris laude* §. XXX. *in Oper. omn.* nuper editis p. 468. patere poterit.

(*r*) Conf. egregium Orationum par honorandi utriusque PRÆCEPTORIS Cl. VAN DOEVEREN, & Cel. E. SANDIFORT; illa *de erroribus medic. ſua utilitate non carentibus*; Gron. 1762; hæc *de circumſpecto cadaverum examine, optimo pract. med. adminiculo.* L. Bat. 1772.

(*s*) Improbum tale factum ſibi *Trajecti* contigiſſe nobis narravit magnus quondam PRÆCEPTOR noſter Cl. J. OOSTERDYK SCHACHT, cujus theoreticis æque ac practicis Inſtitutionibus, eruditione, ſuavitate, antiqua fide, obſervationum ex luculenta praxi deſumtarum, multitudine, refertiſſimis, per plures annos me uſum fuiſſe vehementer lætor, gratusque ſemper reminiſcar.

(*s**) Ad exemplum, imitatione perquam digniſſimum, Ampliſſimi *Groninganæ* Civitatis Magiſtratus, ſcientiarum fautoris eximii,

Perennent interim opera immortalia Th. Boneti, J. B. Morgagni, J. Lieutaud, aliorumque, qui morborum ſedibus cauſſisque per anatomen indagandis ſplendidiſſimam Medicinæ lucem attulerunt!

§. II. Sed pacata bile revertor ad id, quod propoſitum mihi eſt. Quum ſcilicet feminæ noſtræ maritus argumentis, ac remunerationis ſpe permotus victas tandem dediſſet manus, reliquis conſanguineis etſi pertinaciter obſtantibus, (inter quos imprimis anicula quædam multum nobis negotii faceſſebat, furibunda quovis minarum & conviciorum genere in maritum acerbius invehens, rictuque amplo miſerrimum ejulatum edens, ut etiam vi retineri debuerit,) cadaveris perfecimus ſectionem. Aderant mecum, præter memoratos ſupra Chirurgos, alterutriusque miniſtrum, etiam Cel. Hahnius atque Cl. Luchtmans, Præceptor antea noſter laudatiſſimus.

§. III. Ventre, qui collapſus erat, adaperto, ſequentia nobis obſervata ſunt:

Viſcera omnia primo aſpectu ſatis naturaliter ſita videbantur. (vid. tab. I.) Diſcrimina nonnulla in ulteriori expoſitione patebunt. *He-*

Hepar, præter ſitum ſolito magis obliquum, nihil aliud habebat.

Quæ vero eidem inhæret *veſiculæ fellis* ultra jecinoris marginem protenta, capaciſſima, & bile admodum turgida erat. Nullæ in ea bilioſæ concretiones.

Epiploön, pingue ſatis, at mole exiguum, ſuperiorem tantum, quæ inter hepar, ventriculum, & colon inteſtinum, eſt, occupabat partem.

Situm & conſtructionem longe aliam, quam naturalem, offerebat *ventriculus*. (vid. tab. II.) Ad perpendiculum fere deſcendebat, qua parte in inteſtinum duodenum erat abiturus. Contractus valde capacitatem naturali longe minorem habebat; denſatis maxime tunicis, præſertim ad pylorum. Interna ſuperficies, plicis variis diſtincta, continebat multum liquoris tenuis, flaveſcentis. (*t*)

Craſſius præter modum arctiusque erat inteſtinum *duodenum*; preſſaque cyſtide fellea, bilem recipie-

(*t*) Fuitne bilis? Sane hæc in cane famelico WALÆO, & in homine inedia mortuo HALLERO copioſa viſa eſt in ventriculo Vid. BOERHAAVII *Prælect. in inſtit. med.* T. I. p. 340. not. 27. Idem p. 448. in fine not. ex MORG. habet, in jejuno homine conſtanter bilem in ventriculum effluere. Locum tamen cit. invenire haud potui.

cipiebat libere. Reliqua *inteſtina tenuia* vacua erant & naturalibus ſimilia; his paululum arctiora. Laticem intus habebant flavum, priori ſimilem.

Inſignes vero ſedis ſuæ ac fabricæ mutationes ſubierant *craſſa inteſtina*; quæ totidem manifeſta alienationis, quam Natura in hac corporis oeconomia mirabiliter adeo perfecerat, præſtabant documenta.

Colon imprimis, non, quemadmodum ſolet (*u*), juxta veſiculam fellis atque fundum ventriculi recta transgrediebatur; ſed ab ortu ſuo ex inteſtino cæco adſcendens, renemque dextrum prætergreſſum ſingulare ſub hepate curvamen faciebat: inde cyſtidem felleam neutiquam contingens declinabat ſolito magis, factoque arcu ſuperiora rurſus petebat: & ventriculo vix contiguum ſeſe infra lienem in ſiniſtro hypochondrio, altero ſuo flexu ſigmoïdeo, abſcondebat. Totus hicce tractus erat inanis, hinc inde naturali anguſtior.

Neque hactenus inſoliti multum: hujusmodi quippe naturæ luſus, ceu in aliis partibus, ita & in

(*u*) Vid. EUSTACHII *tab. anat.* X fig. 2. H. F. AB AQUAPEND. *Oper. Anat. & phyſ.* p. 142. WINSLOW &c.

in viſcerum abdominalium collocatione perfrequens eſt (*v*).

§. IV.

(*v*) Teſtantur hoc numeroſa, ſatisque mirabilia, quæ apud rei anatomicæ ſcriptores inveniuntur, exempla: ſic *hepar* usque in pelvim pertingens vidit HEISTERUS Vid. *Act. Phyſ. Med. nat. cur.* vol. X. p. 1. *Idem* per totum abdomen transverſim ſe extendens obſervavit REINMANN. in *Nov. Act. Phyſ. med.* N. C. Tom. 1. Obſ. LXXV. p. 303. — *Lienem* ingentis magnitudinis, & *inteſtinum colon* deorſum verſus umbilicum deſcendens, graviditatem per 9. menſes mentiens Idem habet l. l Obſ. LXX. p. 289. Deſcriptio ſitus admodum inſoliti *lienis*, abdominis partes a regione epigaſtrica usque ad oſſa pubis, quibus incumbebat, pertingentis, habetur in *Hiſt. de l'Acad. r. des ſciences* a. 1753. p. 132. Anatomicorum princeps B. S. ALBINUS in *Acad. annot.* L. VII. c. XIV. nullum ſuo loco inveniebat *lienem*; eum vero in pelvi liberum, dilatatis membranis, obſervabat. Aliquando *Splen* hypochondrium dextrum, *Jecur* ſiniſtrum occupaſſe viſum fuit Vid. *Philoſophical Transactions* a. 1674. vol. IX. n 107 aut quæ ex hiſce habet H. VAN SOMEREN *Genees- en Heelk. proeven &c* I d. 2de ſt. bl. 296. —— Singularem *renum* ſitum & figuram Vid. in *Comm. de reb. in ſcient. nat. & med. geſt.* vol. VII. p. 112. & vol. XVIII. p. 77. item apud celebrem olim C. G LUDWIG *in adverſ. med. pract.* vol. III. p. 701 —— *Ventriculum* in ſede perverſa Vid. apud eundem LUDWIG vol. II. p. 425. & III. p. 686. *Ventriculus* in pectore repertus fuit vid. *Journal de med. Chir. &c. par* V. D. MONDE T. IX. p. 518. menſe Decemb. 1758. A diaphragmate ad pubem fere usque expanſus, flatibus impletus, Vid. *Act. phyſ. med.* N. C. vol. X. in append. *Stomachum & inteſtina*, loco ſuo naturaliter relicto, hypogaſtrium occupaſſe vidit F. RUYSCH *Obſ. Anat.* 56.

§. IV. Ut autem craſſi hujus inteſtini decurſus ulterior ſpectaretur, incumbentia tenuia inteſtina dextrum verſus latus reclinabantur: quo facto, triplex mox conſtrictio in oculos incurrebat. (vid. tab. III.) *Prima* medio circiter deſcenſus loco tenuis cujusvis inteſtini anguſtiam longe ſuperabat. Erat inde ad ſecundam usque contractionem nonnihil expanſum colon. *Altera*, eaque violentiſſima, in iliaca regione ſiniſtra, ipſiſſimum flexum ſigmoï-

---

Conf. etiam Cl. LUDWIG *l. l.* vol. I. p. 182 —— *Craſſorum inteſtinorum* ſitum a naturali maxime aberrantem expoſuit Cl VAN DOEVEREN *in ſpecim. Obſ. Acad.* cap III. Ante aliquot annos in Trajectino theatro anatomico Cl. LUCHTMANS cadaver ſecuit, cujus inteſtina omnia ab epigaſtrio verſus oſſa pubis ductu parallelo erant diſpoſita. —— *Veſicam urinariam* ſupra umbilicum adſcendiſſe vidit Magnus CAMPERUS. Vid. F. SNIP *diſſ. de lithotomia.* Viderunt & alii. —— Quin imo viſcerum abdominalium modo hoc, modo illud, nonnunquam plane defeciſſe, ſuperſtite vita, exemplis comprobat Cl. G. F. DE FRANCKENAU in *Satyr. med.* Sat. VII. p. 101. Legi nuperrime in *the monthly Review for Auguſt.* 1776. p. 118. exemplum, ex *Philoſ. Transact.* vol. LXV. adductum, de puellula mature in lucem edita, absque ore, corde, pulmonibus, diaphragmate, ſtomacho, hepate, renibus, liene, pancreate, aut inteſtinis. Finem vix invenirem, ſiquidem omnes, quotquot ab Auctoribus traduntur, anomalias hic enarrare vellem. Plura petenti ampliſſimus patet catalogus apud Ill. MORGAGNE in eximio opere *de ſedib. & cauſ. morb.*

moïdeum tertium tenebat, omnemque pæne coli longitudinem ad ultimam ejus curvaturam ſigmoïdeam occupabat: cumque jam in *rectum* inteſtinum continuaretur, ſaccum formabat membranaceum, amplum, ovalem, flatibus ſummopere diſtentum, binis coarctationibus intermedium. Namque *inteſtinum rectum*, cujus ſuperior pars proprie expanſionem illam faciebat, inde ad ſui usque finem validiſſime conſtrictum erat, *tertiamque* tubi inteſtinalis notabiliorem mutationem exhibebat.

Sac-

---

morb. per anat. indag. Conf. etiam Cel. HALLERI *Elem. Phyſiol.* T. VI & VII item *Deſcriptio fœtus bicipitis*, & Cl. E. SANDIFORT *Nat. en Geneeskundige Biblioth.* III. D. bl. 106.

Nec ſane hujusmodi partium, ſanæ fuerint an morboſæ, a ſtabilito naturæ ordine aberrationes Medicorum attentionem plane non demereri videntur: utpote quæ in explorandis ventris tumoribus, cæterisque viſcerum affectionibus, diagnoſin difficilem ſæpe, dubiam, fallacem, ſiſtunt; & oculatiſſimum quemque interdum decipiunt: unde diverſum partium ſitum in cadaveribus exacte eſſe notandum toties inculcavit Ill. A. DE HAEN *rat. med.* Parte IX. p. 51. P. XI. cap. V. P. XIV. S. I. cap. II. ed. Vienn. Ita veſica urinaria inſigniter tumida graviditatem mentita eſt apud BONET. *ſepulchr. Anat.* Lib. III. S. XXI. obſ. 23. Lien quandoque in pelvim delapſus impoſuit Vid. RUYSCH *Cent. obſ. anat.-chir.* 62. & laudatum ibi exemplum ex SCHRADERI *obſ. rar.* dec III. obſ. 4. Sic & alia viſcera. Interea de ſignis tumidi lienis atque hepatis Vid. *Hiſt. morborum Vratiſlav.* a. 1699. p. 113. & ſeq. ed. Halleri,

Saccus autem ille reliquaque *recti* portio extus ab initio ad finem usque omnium tactu diligenter explorata, digitis circumeuntibus undique preſſa, & accuratiſſime contrectata, non niſi ſummam offerebant mollitiem: cumque tamen tenuem quaſi pultem inferius continere viderentur, ſectione per longitudinem a nobis aperta ſunt. (Quod probe notandum eſt). Neque exſpectationem magnopere fefellit eventus: latebat enim fæculenta quædam materies mollis, mucoſa, colore & odore naturalis, unciam vix ponderans.

Intromiſſis plurium digitis, cavum ſedulo perſcrutaturis, particula fæcum etiam educta eſt; nihil præterea alieni intus repertum.

Variis in locis craſſa inteſtina peritonæo accreverant.

Cætera, *lien*, *pancreas*, *meſenterium*, *renes*, *ureteres*, *veſica urinaria*, cum vicino *utero* atque *ovariis*, ſitu ſuo, mole, figura, mollitie, colore, naturæ erant conſentanea.

§. V. Propoſui en! quicquid de ſingulari hacce inedia in corpore vivo, quicquid in mortuo, per obſervationes deteximus unquam: & ita propoſui, ut integra hæc ſint, nec arceſſito fuco aut pigmento pue-

puerili fallaciter enitеſcant, ſed magnorum virorum auctoritate nixa, quorum ſub alis & umbra ſemper alma ſibi conſtabit Veritas.

Potuiſſem itaque ad reliqua diſſertationis capita tranſire; niſi mentionem prius aliquam poſtularet ſuper eodem hoc argumento editus haud ita pridem abs *Medicinæ* quodam & (ſi Diis placet) *Chirurgiæ Doctore* (ita enim ſemet vocat) P. M. NIELEN libellus (*w*). In quo & noſtræ mulieris caſum, & alia multa circa apoſitiam mire doctus enarravit, ſæpius tamen in uno ac altero egregie hallucinatus eſt.

Hoc autem cum leviuſculum ſit, nec multa proinde attentione, nedum refutatione, dignum, nos non diu morabitur, ne tempore & otio turpiter abuti velle videamur. Unde pauca breviter tantum & quaſi per tranſennam percurramus. De cæteris quid cenſendum ſit, quilibet exiſtimet æquus.

§. VI.

(*w*) Ejus inſcriptio ſic ſe habet: *Verhandeling over de oorzaken van het beſtaan des levens zonder ſpyſen, of zelfs zonder ſpys en drank &c. ter gelegenheid van eene zevenjarige ſpysderving in de perſoon van Maria van Dyk, &c. door* P. M. NIELEN *Med ac Chirurgiæ Doctor.* Utrecht 1775.

§. VI. Pagina imprimis 38[a] ſequentia memoranda habet: „ *De regte darm ſcheen weinig enger als na gewoonte* ". Judex eſto, quicunque tertiam noſtram inſpexerit tabulam. Præterquam quod ipſe pag. 37. ſcripſerat: „ *Het nederdaalende deel* „ *van den karteldarm had drie aanmerkelyke verengin-* „ *gen. — Tuſſchen deze drie verengingen, wierden twee* „ *verwyderingen waargenomen, die als twee vliezige* „ *zakken vormden*". &c. Profecto non video, quid aliud, quam inteſtinum *rectum*, pro tertia illa coarctatione hic ſumi poſſit? (conf. tab. III.) Adeoque aut hominem oculi fefellerunt; aut confundit ille inteſtinum *colon* cum *recto*. Namque addit initio pag. 38. „ *Het deel van den karteldarm be-* „ *neden de onderſte zak* (atqui hæc ipſa pars con- „ ſtituit rectum) *daalde ſchuinsch over de onderſte len-* „ *dewervelen, naar den regten darm* ".

Sed pergit eodem loco: „ *Ik opende dezelve*". Errorem dicam, an pejus? Notavi enim paulo ante expreſſe, noſmet ipſos hocce inteſtinum incidiſſe.

Porro: „ *Maar ik wierd ten hoogſte in verwonde-* „ *ring gebragt — wanneer ik by het beſchouwen* „ *van deze uitwerpſelen eenige kraakſteenen van prui-* „ *men ontdekte. Ik meen 'er vier gevoeld te hebben* „ *in den ſtreek van het regt gedarmte* ". &c. Gratu-

tulamur homini tantam tactus ſubtilitatem, ut, quod noſtrum nemo, non levi adhibita cura, ſed ſumma accuratione, ſed exquiſita intus extusque facta exploratione, detegere potuit, ſolum illum ſubterfugere minime valuerit. Meminerit tamen, quod ſcripſerit, aperuiſſe ſe inteſtinum rectum, a nobis jam pridie apertum.

Judicium, nimis forte ſeverum, tulit CICERO (*x*).

Unum reſtat dicendum, fruſtra eum de femina ultimo vitæ tempore leves cibos appetente ſuſpicari pag. 41. Et falſo hoc ei, quod in nota addit, ab alio quodam fuiſſe confirmatum. Ego enim ſedulo in hanc rem inquiſivi: nec aliud unquam, præter antea memorata, aſſumſiſſe, ipſaque medicamenta, a Medico quodam in morbo præſcripta, reſpuiſſe, illi, quorum hoſpitio *Amſtelodami* uſa fuit, firmiter mihi perſuaſerunt.

De reliquis arbitrium penes quemlibet eſto.

Equidem non mihi, ſed rationi, aut quæ ratio eſſe videtur,

Milito, ſecurus quid mordicus hic tenet, aut hic.

§. VII. Succurrit hoc loco memorandum exemplum,

(*x*) *Pro Q. Roſcio Com.* cap. XVI.

plum, quo patet, quantopere nonnunquam homines cerebri ſui commentis indulſerint, ut rem animo & cogitatione fictam, pro vera certaque, experimentis ſtabilita, teſtibusque oculatis comprobata, venditare auſi fuerint. Famoſa illa eſt hiſtoria, quæ ante paucos annos per orbem literatum evulgata Phyſicorum ingenium tam mirifice torſit. Exſtitit nempe certus aliquis JEAN COULTAUD titulo profeſſoris phyſicæ Taurinenſis; qui varia tentamina in Alpium cacuminibus cum aliis nonnullis ſe feciſſe exhibebat: ex quibus ſequeretur, corporum gravitatem eo magis increſcere, quo a centro telluris eſſent remotiora &c.

Atque hæc quidem tanta cum diligentia, ac loci, temporis, aliarumque circumſtantiarum, probabilitate inſtituta videbantur, ut non ſolum tanquam indubitata acciperentur; ſed de iis explicandis, cumque NEWTONI ſyſtemate conciliandis, ſatagerent Phyſici, imprimis Cl. D'ALEMBERT, aliique. Donec poſtea Cel. LE SAGE in epiſtola quadam, ſummo profecto & communi ſcientiarum emolumento, liquido demonſtraverit, talia experimenta nequaquam genuina, nec ulli facta fuiſſe, quin ne quidem unquam ejusmodi JEAN COULTAUD profeſſorem Auguſtæ Taurinorum exſtitisſe-

tis,

ſe. (*y*) Quanta eſt ſæculi inſolentia!

Ejusdem quoque generis eſt callida, ſed nefanda ſimul, fraus illa, qua Cl. BERINGERUM, Profeſſorem Herbipolenſem, naturæ ſcrutatorem indefesſum, quondam luſit vaferrima Jeſuitarum gens (*z*).

(*y*) Tentamina iſta ubivis fere deſcripta habentur. Vid. *Journal des beaux arts & des ſciences* a. 1769. m. Juin, *Gazette literaire* Août. 1769, *Natuurkund. Verhandel.* D. III. bl. 47. *Nieuwe Vaderl. Letter-Oeffen.* D. IV. St 2 bl. 56. Epiſtola vero Cl. LE SAGE eſt in *Natuurk. Verhandel.* IV D. bl. 209. ſeq. Simile obtinuit exemplum nter Cl. GESSNER & fictitium quendam MERCIER Vid. ibid.

(*z*) Prolixius hæc expoſuit Cel. HAHNIUS in ſermone Academ. *De ſcientia nat. ab obſerv. & experim. ſordibus repurganda.* Traj. Bat. a. 1753. pag. 27.

CAPUT QUARTUM.

Cauſſarum Indagatio.

§. I.

Quemadmodum „ omne quod gignitur, ex ali„ qua cauſa gigni neceſſe eſt; nullius enim rei, „ cauſa remota, reperiri origo poteſt.”; (*aa*) ſic ordine nunc quodam ducimur ad indagandas illas cauſſas, quarum effecta hactenus tradidimus. Neque tamen quemquam exiſtimare velim, ita has eſſe claras apertasque, ut mathematicarum inſtar demonſtrationum proponi aſſumique poſſint. Illud enim, quemadmodum in plerisque, ſcientiæ imprimis medicæ, argumentis toties deſiderari omnes dolemus, tum & hic obtinet locum. Quas itaque attenta eorum contemplatio, quæ in vita mulieris noſtræ prægreſſa, in cadavere reperta ſunt, ſuggerit cauſſas expoſuiſſe juvabit.

Ante vero quam disquiratur, quo quæque modo ſuam

(*aa*) Argumento CICERONIS *in Timæo* cap. II.

ſuam huc ſymbolum contulerit, breviter, ut clarior rei intellectus pariatur, videndum erit, undenam naturalis ille appetitus, cujus læſionem inſignem hic habemus, ſuum in ſtatu ſano ortum trahat? Nec tamen hac in re prolixior ero. Tædet notiſſima quæque & ubivis obvia iterum iterumque ſcribere & legere.

§. II. Ingratiſſimus, diruſque ſæpe, homini inditus eſt ſenſus, qui de penuria hunc moneat compellatque ad victum ſibi procurandum. *Famem* dicimus, ſingulariſſimam affectionem; quæ niſi excedat, ſed pro ſuo cujusvis genio & guſtu depelli poſſit, miram guloſis ac ventri deditis creat voluptatem, cum inedia noſtra, utut lucroſa & crumenæ commoda, non facile commutandam.

§. III. Cauſſas hanc agnoſcere plures, tot fere quot ſunt digeſtionis; ſpeciatim acrimoniam humorum, ſalivæ, ſucci gaſtrici, bilis; hujusque & liquoris pancreatici in vacuum ventriculum regurgitationem; affrictum & attritum parietum tunicæ villoſæ; ciborum reliquias; affuſum denique liquidum nerveum; Phyſiologi perhibent. (*bb*) De

(*bb*) Vid. Magni BOERHAAVII *Prælect. Acad. in ſuas inſtit. med.* T. I. p. 338 Et egregius MARHERR. *in Prælect. ad easdem inſt. med.* T. I. p. 374.

De ſingulis hiſce dicere nihil attinet. Id mihi certiſſimum videtur, primam principemque cauſſam in ſingulari quadam ventriculi irritabilitatis actione ejusdemque nervis eſſe quærendam. Non quidem quatenus hi ſubtile ſuum & impalpabile, quod ajunt, liquidum cibis digerendis affundant; (litem, quæ ſub judice eſt, & forte ſemper manebit, ego non dirimam) ſed quia ab horum integritate & robur ventriculi, ac ὁρμῶντος illius vigor, & menſtruorum requiſitorum ἐνέργεια, & totum digeſtionis negotium pendet. „ Hinc in ſenſibilita„te nimia, irritabilitate, in junioribus, feminis, „ hyſtericis &c. fames aucta." (*cc*) Niſi forte ſtatuere quis malit cum Cl. Marherr, nervos tantum eſſe conditionem, ſine qua non percipitur fames, non autem reapſe famis cauſſam eſſe, eamque excitare.

§. IV. Sit itaque *fames* certa quædam, ſibi propria, & vix explicanda ſenſatio, quam ventriculus per determinatos nonnullos ſtimulos concipit; conceptam ad cerebri meditullium nervorum beneficio

(*cc*) Conf. Ill. Gaubii *Inſtit. Patholog.* §. 788.

ficio propagat; ibidemque aſſumendi cibi ideam menti repræſentat.

Qualis autem mirabilis illa conditio ſit, ut omnes experiundo didicimus, ita verbis nemo exprimere unquam poteſt. Haud aliter atque illi, qui de ſapidis corporum proprietatibus, aut principiis odoriferis, judicaturi, ſaporis cujusdam odorisve, pro ut is communi judicio ſolet audire, ſenſum impreſſum quidem habent; at qualem proprie, ignorant penitus? Nec ſufficit, ſtimulentur nervi. Fieri iſtud modo cauſſisque determinatis, huic operi a natura poſitis, neceſſe eſt: non enim omnis ſtimulus ſtomacho applicitus, nec idem ſemper, famem excitat.

Ventriculum famis ſedem omnes conſtituunt. Licet tamen cauſſæ ſtimulantes ejus non ſemper incolæ ſint: per συμπάθειαν quippe ſæpius officinam hanc ad alimenta incitari, præter alia, docent vermes in inteſtinis nidulantes.

Imprimis vero communis ſenſorii hic requiritur conſenſus; ſine quo nec fames, nec alia quævis peragi poteſt ſenſatio: ut recte ſcripſerit BOHNIUS (*dd*), „plures errare, intra ventriculum famis limi-

(*dd*) In *Circulo anat. phyſiol.* progymn. VIII. p. m. 126. & 127.

„ mites ſigentes, & in ſola hac vellicatione pro ap- „ petitus formalitate explicanda acquieſcentes; — „ famem ſeu deſiderium alimentorum interdum a „ primo ſenſorio ad primas vias, interdum ab his „ ad illud exporrigi, ſemper tamen utraque con- „ ſpirare." Probant exempla hominum literatorum, qui dum ſtudiis & profundis meditationibus pertinaciter incumbunt, libris ſuis devorandis ſatiati omnem omnino famis ſenſum perdunt. Quæcunque vividior idea in mente oborta famem, ut perceptionem minus validam, delet. HELMONTIO famelico, pede diſtorto a lapſu, rigor obvenit cum nauſea, vomitu, & ſuffocato priore edendi appetitu: mox diſtorto ac ſemi-diſlocato pede repoſito, redditur appetitus, ceſſat nauſea. (*ee*) Sic ira, terror, luctus, ludorum jucunda ſpectacula, narratio de rebus peregrinis &c. Cogitatio ferculi delicatioris, palato gratiſſimi, quantopere appetitum non incitat, ut etiam tenuem de ore ſalivam proliciat? Dum contra rei ſqualidæ, medicamenti injucundi, memoria non famem tantum abolet, ſed faſtidium, ipſumque vomitum creat. Ne memorem effrenatas

(*ee*) Vid. ex HELMONTII libro *pylorus rector* n. 20. p. 184. Cl. A. KAAU *impet. fac. Hipp.* §. 348, qui ſimile de ſe ipſo habet exemplum p. 280. ibid.

natas illas corporum abſurdorum appetentias: iſtaque, quæ ſalutari quandoque naturæ medicatricis inſtinctu ægri aut appetunt aut averſantur.

Quæ cum ita ſint, nolim tamen putetis, famis illum ſenſum mihi in totum ſub mentis poteſtate locari: quemadmodum acutiſſimo STAHLIO, ejusque ſectatoribus, placuit. (*ee**) „ Tantum pro„ fecto abeſt, ut etiam corpus hic agere, mentem „ adfici, adeoque illud imperare, hanc obſequi „ dicendum videatur. —— Fames, ſitis, quoties „ invitam mentem moleſtiſſime interpellant, tur„ bant, angunt!" (*ff*) Tametſi haud negaverim, quandoque famis ideam in mente primum productam demum ad ventriculum proficiſci.

§. V. Liquet igitur ex dictis, quicquid 1. principium iſtud irritabile ſuffocat; 2. ſtimulos naturales, ſtomacho inquilinos, obtundit, vel plane tollit; 3. aut ſenſationem in nervis naſcituram impedit; 4. natamve intercipit, ne ad cerebrum pertingat; 5. aut denique ipſum commune ſenſorium ita

(*ee**) Vid. JUNCKERI *Conſp. phyſiol.* tab. XXV. & conf. Ill. HALLERUS in *Elem. Phyſiol.* Tom. VI. p. 186.

(*ff*) Vid. Cel. GAUBIUS in elegantiſſimo & eruditiſſimo *ſermone acad. de regim. mentis, quod medic. eſt.* p. 25.

diſponit, ut ſtimulorum ſenſum percipere nequeat; illud omne pro vera cauſſa, famem & appetitum minuente, delente, extinguente, habendum eſſe.

§. VI. His præmiſſis, cauſſas enumeremus, quæ aſitiæ noſtræ anſam præbuiſſe maxime videntur.

1. Agmen ducunt *animi commotiones* lentæ, diuturnæ, mœror & triſtitia, tædium (*gg*), terroris quoque inſultus. At has dum nomino, quis non latiſſimum, quod in corpus exercent, imperium mihi, nec ultro petenti, concedat facile? qui cogitet imprimis, quam alte corporis penetralia permeënt? quantopere motus omnes retardent; ſenſus eximant; digeſtionem, nutritionem, ſecretiones, præter unam lacrymarum, omnes, turbent, ſubvertant, cohibeant? Quid referam plura? Audiamus magnum pariter philoſophum atque medicum Cl. GAUBIUM; ſic pronunciantem: (*hh*) „Triſti-
„tia,

(*gg*) Præter luctus rationes Cap. I. allatas; intime quoque hujus affectus fomitem repoſitum alebat, ptopterea quod a marito admodum male habebatur, non verbis tantum ſed verberibus etiam interdum petita: quod tamen pro miti ſua, qua erat, indole diſſimulare ſæpius annitebatur.

(*hh*) in *ſermone altero de regim mentis* p. 24. in fine Conf. etiam Cel. HAHNII, viri arte & facundia inſignis, elegantiſſima *oratio de uſu Venen. in medicinâ* p. 18.

„ tia, cum intro repreſſa & longo tempore fota te„ nacius inſidet, non minus corpus, quam animum „ exedi conſumique nemo quisquam ignorat. Lan„ guent ſub diuturno mœrore vires motrices om„ nium oeconomiæ ſyſtematum, nativus firmarum „ partium vigor fatiſcit; motus vitales, naturales, „ animales torpent: unde lentus ſanguinis circui„ tus; atrabilaria humorum ſpiſſitas, acrimonia; „ *anorexia*, *apepſia*, *inedia*, atrophia; viſcerum ob„ ſtructiones &c."

§. VII. 2°. Memorandæ veniunt *affectiones hyſtericæ*, ſive ex prægreſſis animi pathematibus, quæ uſitatiores ſunt hujus morbi προφάσεις, ſeu aliunde, exortæ; harumque effectus peſſimi; quibus toties afflicta femina noſtra ingentem malorum συνδρομῶν miſerrime perpeſſa fuit. Quæ cum omnigenas animali oeconomiæ permutationes, quas nec Proteus luſit unquam, nec coloratus induit Chamæleon, inferre queunt, ipſamque triſtiſſimam mortis imaginem exprimere: quid mirum? ſi inediæ quoque opportunitatem feciſſe dicamus. Neque ullam hujus rei confirmationem exigent illi, qui Medicorum, ſagaciſſimi imprimis naturæ illius obſervatoris Th.

Sydenhami (*ii*), ſcripta vel levi manu volverint. Mulieres ex utero laborantes inediam ſtrenue ferre diu notatum fuit (*kk*). Ill. Hallerus aſſerit, homines, qui cibo diu abſtinuerunt, fere ad unum omnes melancholicos fuiſſe, aut hyſtericas plerumque feminas. (*ll*)

§. VIII. 3o. Non omittenda eſt *ſumma illa debilitas ac plenaria virium proſtratio*, quæ mentis agitatione incepta, nimio prolis alendæ deſiderio aucta, ingenti tandem enormium ſymptomatum caterva usque adeo fuit provecta, ut vitæ quaſi minimæ redditæ ſuperſtes languida flammula modo exſtinctum iri, morsque foras jamjam pulſare ſæpius videretur.

Tragicam hancce intuens ſcenam quis, quæſo, de inedia, ex hac cum totius corporis, tum maxime primarum viarum, infirmitudine oriunda, longius anquirit? (*mm*).

§. IX.

(*ii*) Vid. omnino ejus *diſſ. epiſtol. ad Guil. Cole* in *Oper. Omn.* T. I. p. m. 256. ed. Genev.

(*kk*) Vid. *Comment. Bonon.* Tom. II. Pte I. p. 224.

(*ll*) *Elem. Phyſiol.* Tom. VI. p. 175.

(*mm*) Conf. Cl. Ludwigii *diſſ. de primarum viarum debilitate* Lipſ. 1748.

§. IX. 4°. Numne & *phantaſiæ erroribus* hic quicquam tribuendum? Occupaverat ſcilicet feminam attonita quædam & ſuperſtitioſa perſuaſio iræ cœleſtis, ob impia mariti vota; qui cum eſſet avarus & invideret conjugi, cibum avide devoranti, execraverat ſæpe & precatus erat inediam ſeptennem.

Hanc quoque animi ægritudinem fuiſſe ſuſpicatum tulerunt eccleſiæ Romanæ tunc temporis paſtorem, eumque, multis argumentis feminam ab hac opinione ſeducere poſtquam fruſtra laboraſſet, piam ipſi fraudem feciſſe, ac fruſtum panis, quaſi hunc in finem a ſe conſecratum, obtuliſſe, utque intra novem dies comederet, juſſiſſe; quo facto, ab omni liberatum iri malo, priſtinamque edendi facultatem iterum adepturam ſpopondiſſe: nihilo tamen feliciori cum ſucceſſu; renuiſſe enim panemque, pro ut acceperat, reſtituiſſe ἀσιτην.

Enimvero quamvis incredibilem eſſe imaginationis efficaciam in perturbandis corporis functionibus, arctiſſimum propter vinculum, quod illud inter & cogitans principium indiſſolubili intercedit nexu, agnoverim lubens; (*nn*) ſolo tamen ejus vitio,

(*nn*) Conf. Immortalis BOERHAAVII *Præl. de morb. nerv.* T. II, a. p. 400 & 555.

tio, abſentibus aliis cauſſis, acerrimum illum famis ſtimulum continuo tolli, ac inediam produci, aut; ſi forte producatur, impune ſaltem ferri poſſe nequaquam exiſtimaverim. Nec refragatur experientia. Plerique enim, ſi non omnes, qui ex religioſa quadam ſuperſtitione, vel & voluntate conſcia, jejunia perpeti geſtierunt, infauſtis puniti ſucceſſibus leguntur. Sic religioſa quædam virgo nullo ſe indigere amplius alimento imaginata, aſſidua quippe ſacri codicis lectione abunde ut nutriretur fore credens, die decimo tertio egregie decepta citra imaginationem exſpiravit (*oo*). Nec melius fatum manſiſſet famoſum illum Harlemenſem abſtemium *J. H. Stiphout*, qui verum ſe Meſſiam profeſſus 40 dies totidemque noctes jejunare ſe velle dixerat (*pp*). Quidam vinculis detentus, ut imminens averteret ſupplicium, ab omni nutrimento abſtinendo, mortem ſibi voluntariam adſcivit; referente FEL. PLATERO (*qq*).

Pa-

(*oo*) Vid. St. v. d. WIEL cent. poſt. obſ. 15. p. 149.

(*pp*) Ab eodem cit. ex *Nouv. de la republ. des lettres* m. de Fevrier a. 1685 p 179.

(*qq*) *Obſervat.* Lib. I. p. m. 81. ubi & aliud ſimile exemplum eſt.

Pariſiis a. 1765. nobilis quædam matrona (La Marquiſe de Beleſtat) vota tulerat, nihil ſe cibi potusve amplius aſſumturam eſſe. Sed eadem quoque, elapſis tribus ſeptimanis, miſera morte ſolviſſe viſa fuit (*rr*). Plura apud Auctores paſſim occurrunt.

Interim haud equidem inficias ivero, in noſtro caſu nonnihil moroſitatis ſimul ſubfuiſſe: quid enim? dum *hoſtiam* ſuam *ſacratam* aliquoties ſumeret tenuiſſimum cibum cur non potuiſſet? Gravior certe peſſime ceſſiſſet. Veruntamen tantum aberat, ut perſuaderi hoc ei potuerit, modo tentaret, ut etiam, quoties hac de re ſermo eſſet, horrorem totum corpus ſubiiſſe viderim. Quidni vero iisdem, quibus nata eſt aſitia, cauſſis alienatam fuiſſe phantaſiam ſtatuamus? Quorſum & forte contulit ſeminium naturale proprium, melancholicum ſcilicet aut cholericum temperamentum (*ss*).

§. X. 5°. *Ventriculi & inteſtinorum, coli præprimis*

(*rr*) Vid. *Merkwürdige Geſchichte und Denkwürdigkeiten, welche ſich zeit* 1755 *bis* 1768. *zugetragen haben* vol. I. §. 445. Leipſ. 1769. 8.

(*ss*) Conf. Cl. GAUBII *Inſtit. Pathol.* §. 738, 739.

mis ac recti, *contractiones* hic quoque aliquem ſibi locum vindicare videntur. Eædem vero num cauſſæ fuerint, utrum effectus inediæ, quæri ſuo jure meretur? Potuiſſe has conſtrictiones aliunde oriri, aperta eſt ratio: patent cauſſæ. Præceſſerunt motus ſpasmodici violenti, repetiti, globum hyſtericum huc illuc agentes, dolores & cruciatus in ſenſiliſſimis viſceribus validos excitantes, totum corpus conſenſu concutientes, Hinc illi motus abnormes; ſanguis per os eructatus; epiſtaxis; uteri hæmorrhagia; debilitas; ſyncope; reliqua; quin & inteſtinorum contractio (*tt*). Nec rarum eſt hujusmodi permutationes in cadaveribus ſpeculari, prægreſſis viſcerum ſpasmis, ileo, colica, præſertim Pictavienſi, aliisve cauſſis. Plurimas ventriculi & inteſtinorum omnimode contortorum, nunc ad pollicis digitive minimi, aut pennæ anſerinæ, craſſitiem redactorum, alias in varios globulos conſtrictorum, obſervationes paſſim exhibuerunt, & iconibus nonnulli illuſtrarunt, viri celebres: BONETUS (*uu*), RUYSCH (*vv*), MORGAGNE (*ww*), DE

(*tt*) Ibidem §. 195 & 209. n. 5.
(*uu*) *Sepulchret. Anat.* Lib. III. Sect. XIV. obſ. 10.
(*vv*) *Cent. Obſ. anat.-chir.* obſ. XCI.
(*ww*) *De ſed. & cauſ. morb. per anat. indag.* ep. IV. art. 35. XVIII. 2. XLVII. 8. XLVIII. 37. & alibi.

de Haen (xx), van Doeveren (yy), alii (zz).

Sic itaque præſentes has coarctationes potuiſſe appetitum lædere, concoctionem depravare, ἀποσιτίαν inducere, intellectu non eſt difficile. Accedit, quod ſi effectus ſoli fuiſſent, nulla foret ratio, cur unus præ altero locus tam vehementer fuiſſet affectus.

Quodſi vero pariter conſideremus, quoſcunque canales, vi contractili præditos, cum in quod agant non inveniant, nec ſolitam proinde reſiſtentiam offendant, ex ſua natura in dies debere anguſtari, minorem accipere diametrum; parietes magis ad invicem accedere; condenſari tunicas: an mirum? omnem inteſtinorum tubum, defectu cibi digerendi, cum ſuperſtite utcunque periſtaltico motu, naturali contractiorem apparuiſſe. Eo quidem magis; ſi quidem aliæ concurrerunt potentiæ, copioſum puta calidæ ac ſpirituoſi, forte & ſacchari, uſum,

(xx) *Rat. medend.* Parte II. cap. V. P. X. c. I. & III. P. XI. c. III. ed. Vienn.

(yy) *Specim. obſ. Acad.* cap. III.

(zz) Vid. Heister in *Act. phyſ. med. N. C.* vol. X. p. 53. Laubius *in Ephem. N, C.* cent. VII. obſ. 41. Waltherus *diſſ. de inteſt. anguſt.* laud. apud. Morg. *de ſed. & cauſ.* ep. XXXII. art. 5. A. Stoerk *anno med. prim.* p. 88 ed. Leid. *Natuurk. Verhandelingen* III D. bl. 151.

uſum, quarum efficaciam ratione & experientia comprobarunt Cl. Viri A. G. RICHTERUS (α), VAN GEUNS (β), NAHUYS (γ); ampliſſima quoque BOERHAAVII noſtri, LANCISII, HAENII, auctoritate adjuti. Quamvis literatiſſimus & eruditus vir D. W. TRILLERUS (δ) potionibus calidis relaxari potius atque extendi, quam contrahi, partes cenſeat. Pulcra quoque & utilis eſt obſervatio, licet huc proprie non ſpectans, quam dedit Cl. Comitis Benth. Steinfurtenſis Medicus J. D. METZGER (ε) de oſſeo œſophogo ex nimio ſpirituoſorum uſu; cuique ſubjecit, præter alia, hocce problema: „ An „ ejus originem quoque illuſtrat exemplum veſicæ bubulæ vel ſuillæ, quæ in aqua bullien„ te contrahitur & craſſitie augetur?" Reſponſio ab eruditis deſideratur. (**) Vidit ſimili-

(α) Vid. *caſus intumeſcent. & calloſi pylori* §. 5. Gott. 1764. 4.

(β) In egregia plane diſſ. de læſa deglutitione in *de Verbandelingen van de Haarl. maatſch. der wetenſch.* XI D. bl. 97.

(γ) Super eodem argumento ibid bl. 218.

(δ) Diſſ. *de fame let. ex calloſa oris ventr. anguſt. in* ejus *Opuſcul. med.* vol. I. p. 42. Quocum etſi non plane conſentiat Ill. MORGAGNE, ſubdubitat tamen. Vid. ep. XXVIII. *de ſed & cauſ. morb.* art. 15.

(ε) In *Adverſariis med.* p. 175. Traj. ad Moſam. 1775. 8.

(**) Nonnullas tamen, pace Cl. Viri, animadverſiones proponere

liter Cl. P. G. Hasenoehrl in femina poſt largiorem Sp. Vini uſum omnia inteſtina ita coarctata, ut vix digitum admitterent; ventriculum contra (quod mirabile) ita expanſum, ut os pubis at-

---

nere quid vetat? Experimentum veriſſimum eſt. Nec bulliens tantum aqua, ſed ipſa frigida parem ſiſtit ſucceſſum: in utraque veſica ſubito circumvolvitur in cylindrum quaſi, & cum denſitate majorem etiam acquirit mollitiem. Quo liquet jam, aliud quid obtinere, quam in viva parte, quæ quidem etiam contrahi videtur, ſed ſimul durior evadit & oſſea tandem, ut ipſa allata obſervatio docet. Craſſitiem illam explicant forte aqueæ particulæ attractæ, tenuium lamellarum interſtitia occupantes, gluten, quod membranis iſtis ineſſe ſolet, ſolventes; hinc poſt talem macerationem ſeceſſio tunicarum facilis: quæ ſane cauſſa in C. vivo nequaquam fuit. Sed contractio unde? Vix credibile eſt, tunicæ muſculoſæ, per aquam ſeparatæ, de elaſtica ſua & contractili natura quicquam ſupereſſe. Siccata & durior & magis elaſtica redditur. An hinc certius aliquid intelligitur? Interim vini ſpiritus etiam fortiſſimus ſimilem veſicæ mutationem non infert. Tentavi, caloris quoque auxilio uſus; at fruſtra. Diceres leviſſimam elaſticitatem tribuiſſe; quæ tamen non adeo ſenſibilis erat, ut non adhuc mihi dubium moveat. Jam vero mirabilem illum metaſchematiſmum œſophago induxerat tamen ſpirituoſum nectar. Anne forte nimio perpetim ſtimulo vaſcula conſtrinxit; fibrillarum cohaeſionem auxit; mucum & caeteros humores denſavit; ſicque tartaream quaſi cruſtam gignendo ipſa demum ſolida viva in rigidam, oſſeam, inorganicam mutavit molem? Naturæ operandi modum vix aſſequimur.

attingeret, & viginti menſuras aquæ caperet (ε*).

Hippocrates jam olim in jejunio coaleſcere inteſtinum credidit, ſcribens: (ζ) „ Nonnulli, ne „ per inediam a vita diſcederent, ſed ut comede„ rent & biberent perſuaſi ſunt, verum venter non „ amplius admittit. Jejunum enim inteſtinum in „ his diebus cohæreſcit, quin etiam illi moriuntur." Neque aliter Cl. Ruysch (η) ac Ill. Morgagne (θ) contractiones ventriculi & inteſtinorum, in cadaveribus poſt inediam apparentes, ejusdem effectus ſalutarunt. Et Gaubius (θ*) ſummus ſcribit. „ Copia ingeſtorum minor, quam vitæ ac „ ſanitatis ratio poſtulat, — ventriculum ac in„ teſtina contrahit; ut ægre dein plus alimenti fe„ rant, quin moleſtia, dolor, &c. oriatur."

Quibus quidem diligenter penſitatis; concludendum videtur, utrumque hic obtinuiſſe; coarctationum veſtigia, per vim validam dolorum & ſpasmorum

(ε*) Vid. *hiſt. febr. petech. Vienn.* in *Comm. de reb. in ſcient. nat. & med. geſt.* vol. IX. p. 474.

(ζ) *Lib. de Carnibus* Sect. III p. 254. ed. F.

(η) *Cent. obſ. anat.-Chir.* obſ. XIX. item LXVIII.

(θ) *De ſed. & cauſ. morb.* ep. XXIV. art. 34. XXIX. 12. & XXXIX. art. 33. Conf. Boneti *anatom. practica* Lib. III. Sect. I. obſ 5.

(θ*) *Inſtit. Pathol.* §. 452.

rum in inteſtinis, præſertim colo rectoque, ab initio jam poſita, inediæ viam pandiſſe: hæc vero ipſâ ciborum abſtinentiâ dein fortius fuiſſe impreſſa: adeoque conſtrictiones & anguſtias ſtomachi reliquique inteſtinorum tubi cauſſas partim, partim effectus, inediæ fuiſſe.

Quod autem triplex potiſſimum ille locus cæteris violentius fuerit conſtrictus, ex indole & natura ſpasmorum, ac globi hyſterici notione, repeti facillime poterit.

Rationem, cur anguſtatæ & extenſæ partes magis in craſſis, quam tenuibus, inteſtinis obſerventur, dabit Cel. LUDWIG (*i*).

§. XI. Quodſi jam quæ hactenus diſputata ſunt in ſummam quandam colligantur, patet, coëuntes, facto agmine, corporis animique tumultus probabilem noſtræ ἀποσιτίας cauſſam conſtituiſſe; nerveo imprimis ſyſtemate motibus inordinatis, turbis patheticis, ſpasmodicis, doloroſis, ſenſum obtundentibus, vehementer laceſſito. Inde ventriculi τὸ ἐνορμῶν ſopitum; nativus calor fractus; nervi debiles, languidi, ad ſenſum forte inepti, an & cal-

(*i*) *Adverſar. med. pract.* vol. I. p. 366.

calloſi? fibræ laxæ, torpidæ; vaſa minima conſtricta: digeſtionis menſtrua, præſentia quidem, at veroſimiliter inertia: inteſtina pariter flaccida: verbo ex omnibus hiſce ſuppreſſa ſtimuli naturalis perceptio, proſtratus appetitus, cibi averſatio, plenaria tandem inedia (κ).

§. XII. Cæterum utraque iſta obſervatio, altera virginis, quæ ex læſione dorſi ad undecimam vertebram in quadriennii ἀσιτίαν incidit (λ); altera mulieris, quæ, poſtquam in dorſum ceciderat, ventriculum exhibuit mire contractum (μ); hujus non eſt loci: quum nec feminæ noſtræ inedia ab externa tali cauſſa derivari, nec quoque ventriculi anguſtia ex prægreſſo illo apoſtemate (Cap. I.), ſive a decubitu, ſeu aliunde, orto, utpote longe a ventriculi regione, in dextris lumbis, diſſito, produci potuit.

De reliquis, quæ numeroſa admodum ſunt, famis

(κ) Conf. PATHOLOGUS ſummus §. 789.

(λ) Vid. *opuſcul. ex Act. Erudit. Lipſ.* Tom. II. p. 42. ed. Venet. 1741. 4.

(μ) Vid. Ill. MORG. loco ſæpius laudato ep. XXXIV art. 27. 28.

mis impedimentis, ac inediæ cauſſis, multiplici videlicet oris, œſophagi, ventriculi, inteſtinorum &c. vitio: ulcere, ſcirrho, ſteatomate, oſſificatione, compreſſione, paralyſi, materie morboſa quacunque, &c. quoniam ad noſtram hiſtoriam omnino non pertinent, alienum atque inutilem hic fore ſermonem judicamus.

§. XIII. Unum hoc brevi adhuc animadverſione dignum videtur; quod ſcilicet, quemadmodum in plerisque, ſi non omnibus, ἀσιτοις, ita & hic, ablatis quidem *famis* ſtimulis, relicta tamen *ſitis* fuerit perceptio. Anne igitur eædem hujus ſunt, quæ illius, cauſſæ? Num diverſa utriusque ſedes?

Ponit ſingularis hæc ſenſatio certam in mente conditionem, qua fertur ad id, quod corpori ſuo imminet, noxii per potus deſiderium avertendum: quae tamen conditio cum cauſſa corporea ita juncta eſt, ut neutra ſine mutuo alterutrius auxilio ſitis ideam ſiſtere poſſit; latetque in peculiari quadam nervorum affectione cum ſpasmodica minimorum vaſculorum oris, faucium, œſophagi, conſtrictione. Hanc demum efficiendo quæcunque a Pathologis memorantur cauſſæ (*ν*), tanquam ſecun-

(*ν*) Vid Cel. GAUB. *Inſtit. Pathol.* §. 792.

cundariæ, agere ſitimque creare videntur. Sic intelligitur, cur jam in frigore febrium intermittentium ſitis adſit valida? Cur in hyſtericis & hypochondriacis, aliisque ſpaſticis affectionibus, ingens quandoque percipiatur? Quare ſitim, ſi non exſtinguere, fallere tamen nonnunquam liceat? Cur nullis ſæpe remediis, niſi ſolis fœtidis, antiſpasmodicis, κατ' ἐξοχὴν dictis, auſcultet?
Ex eodem fonte explicationem caetera admittunt facilem.

Eſt itaque alia *famis*, *ſitis* alia, origo; varius utriusque locus. Illius cauſſas non uno modo abolitas ſupra vidimus: hujus & perſtiterunt cauſſae, & efficaciores quoque, quin neceſſariae magis, redditae ſunt.

CAPUT QUINTUM.

Nonnulla ad Hiſtoriæ interpretationem.

§. I.

Tot ſunt, tamque inſignes, quos in omni pæne artium ac ſcientiarum genere ſenſim ſenſimque Mortales fecerunt, profectus, ut, ſi obiter tantum conſiderentur, magnum ſatis perfectionis gradum cognitio humana adepta videatur. Dum vero ſcrupuloſius paulo hæc perluſtrantur, atque a contemplatione nuda ad ipſam rationis & judicii trutinam traducta cogitatius expenduntur, fallor, anne major longe numerus eorum, quæ ignoramus, quam quæ cognita gaudemus, conſtitui poſſit? Quanti enim ſuperſunt ubivis hiatus! Quam denſæ undique tenebræ! Quam arctis ſcientia noſtra cancellis circumſcripta eſt! Imprimis dum externa rerum ſpeculatione non contenti cauſſas ipſas, exiſtendi rationem, agendique modum, quod tamen Medici philoſophi eſt, penitus perſpicere allaboremus. Hic ſæ-

ſæpius aquam hærere, curtamque ingenii ſui ſupellectilem eſſe, perſpicaciſſimus quisque, niſi alto faſtu turgidum gerat collum, agnoſcet ultro. Nec opus eſt, exemplis, e longinquo petitis, aſſerti hujus veritatem comprobem. Ars noſtra, nobilis *Medicina*, fertiliſſimis etiamſi Ingeniis, quorum unum Boerhaavii noſtri, at quantum nomen! attigiſſe ſufficiat, acriter exculta, luculentiſſima dabit documenta. Plurima hæc ſuo ſinu recondita tenet arcana, quæ probabili vix conjectura divinare licet. Vulgatius nihil eſt, quam hominem vivere. Sed dic mihi, quæſo, quomodo vitam ex tantilla ſpumantis libidinis guttula accipiat? Acceptam conſervet? Conſervatam tandem amittat? Mirabilem perquam atque humano intellectu longe ſuperiorem illam neceſſitudinem, quæ mentem inter corpusque tam arcte intercedit, quis unquam exponat? Functiones cerebri, obſcuri organi, nervorumque omnes; incomprehenſibiles partium conſenſus; ſtupendas motuum ac ſenſuum proprietates; coctionem; nutritionem; ſecretiones; criſes; cæt.; qui poteſt, extricet, aperiat, illuſtret, & magnus mihi erit Apollo. In immenſum augeri hæc ſeries poſſet, niſi ſatius dictum opinarer. „ Multa itaque, immo quamplu-

„ rima

„ rima, ſunt, quæ eſſe concedimus, qualia autem
„ ſint, prorſus ignoramus. Latent profecto iſta
„ omnia, latent & latebunt ſemper craſſis occulta-
„ ta & circumfuſa tenebris, ut nulla humani in-
„ genii acies tanta ſit, quæ citatim in naturæ cir-
„ cumvelatæ inacceſſa adyta, flectuoſosque mæ-
„ andros penetrare poſſit, aut cæcas illius operatio-
„ num reconditarum cauſſas evolvere valeat. Nam

Sic placuit ſuperis, quærere plura nefas. (ξ)

§. II. Atque ſic in ipſo jam hujus capitis limine, quid de eo, quod hic tractabimus, argumento, cenſendum videatur, intelligi poteſt. Difficile admodum exiſtimo apertam hujus phænomeni reddere rationem: quin idem illud ita me poſſe interpretari, ut citra omnem omnino dubitationem ponatur, plane deſpero. Candidam ac verecundam ignorantiæ confeſſionem pro juſta excuſatione impromtu habeo. Neque hic valet TERENTIANUM illud, nil tam difficile eſſe, quin quærendo inveſtigari poſſit. (*o*) Rationem, præterquam quod ex præ-

(ξ) Dixit Cl. TRILLERUS *opuſc. med.* vol. I. p. 38.
(*o*) Ita SYRUS apud TERENT. in *Heautontimor.* Act. III, Sc. V.

præmiſſis præſto ſit, breviter dedit verborum parcus & rerum fæcundus ille Cicero, ut vere de illo quondam dixit Macrobius (π), „ Omnis, „ dum ait, cognitio multis eſt obſtructa difficulta„ tibus, eaque eſt & in ipſis rebus obſcuritas, & „ in judiciis noſtris infirmitas, ut non ſine cauſa „ & doctiſſimi & antiquiſſimi invenire ſe poſſe, „ quod cuperent, diffiſi ſint." (ϱ)

§. III. Hypothetica quadam ratiocinatione, aut ſpecioſis cerebri commentis rem explicare ac dextre perpolire, ut facile fieri poſſet, ita tamen delectationem magis quam vim habet, nec certam proinde ſcientiam parere valet. Unde & hæc diſſerendi methodus, pulcra licet & ingenioſa, ſummis tamen in arte Viris poſthabita, Parenti noſtro Hippocrati (σ) jam ſuſpecta, Baglivio damnata

(π) Lib. II. *ſomn. ſcipion.* c. 5.

(ϱ) *Acad. quæſt.* Lib. IV. cap. III.

(σ) „ Ratiocinationem, ait, plurimum laudo, ſiquidem ex „ fortuita occaſione initium ducat, & ipſam delationem ex ap„ parentibus via quadam perſequatur —— Quodſi non ex „ evidenti incurſione, verum ex probabili rationis fictione „ initium ducatur, plerumque gravem & moleſtam infert af„ fectionem". Vid. *Præception.* ejus p. 26. F, & vol. I. p. 60. ed. L.

nata (τ), acutiſſimo etiam Hahnio (υ) nuper caſtigata, imprimisque inclyto Gaubio tantopere fuit contemta, ut eam ubique, ceu fallacem ac dubiam, exulare jubeat. Graphicus inter alia ille locus eſt, quo Medicos nimium philoſophantes perſtringit, qui, quamvis huc proprie non pertineat, ob eximiam tamen ejus præſtantiam, reique momentum totidem verbis meretur exſcribi. „Pul-
„ crum eſt, inquit, rerum quarumvis reddere ra-
„ tionem poſſe, nodos difficiles ingenii acumine
„ ſolvere, locis obſcuris, ubi prudentia, errorem
„ aut præcipitium metuens, timido pede incedit
„ gradumve ſiſtit, ſolem quaſi manibus geſtare:
„ pulcrius etiam, quæ ſenſuum aciem cautæque
„ rationis ſolertiam fugiunt, naturæ arcana conjec-
„ turis & quadam veluti divinatione explicare, ut
„ qui per ſomnium detegat, quod vigilanti incom-
„ prehenſibile ſit: — Laudarem & ego, ſi mor-
„ bi opinionum commentis cederent; ſi quo lo-
„ quacior Medicus, eo perfectior eſſet; ſi ad hy-
„ potheſin ſeſe natura flecti fingique ſineret: ſal-
„ tem

(τ) Vid. *de Prax. med.* cap. I. & ſeqq. Lib. I.
(υ) In eximia vereque Hippocratica oratione *de medico ſpeculatore*.

„ tem ferenda putarem, ſi ſola Medicum contem-
„ platio faceret." &c. (φ)

Quidni ergo prælucentes tam ſplendidas Medicinæ faces tuto ſequamur?

§. IV. Siccine igitur totam hanc rem intentatam præteribo? Ita enim vereor maxime, ne plurimi, qui neſcio quam à me interpretationem avide exſpectaverant, eventu tandem inopinato ſe deceptos ægre ferant. Videamus itaque, num quid ad hiſtoriæ, ſi non explicationem, illuſtrationem ſaltem aliquam afferre liceat.

§. V. Ut vita animalis perduret, functionesque ad normam ſanitatis peragantur, continuo eget pabulo, quo id, quod corpori ſuo per motum humorum, attritum, calorem, ſecreta & excreta, deceſſit, identidem reſarciat reparetque vivens. Hoc nutritur animal, creſcit, conſervatur: hoc deficiente, deficit, decreſcit, moritur. Sic ſumma alibilis materiæ neceſſitas abunde cernitur.

In omni igitur inedia abſoluta alterutrùm fiat neceſſe

(φ) Vid. lectu digniſſima *Præfatio ad Inſt. Pathol.* & paſſim in ipſis *Inſtit. Pathol.*

ceſſe eſt: vel nihil de corpore perditur; vel, ſi quid decedat, quovis iſtud meliori modo reſtitui oportet; brevi alioquin vita duratura. (χ)

Prius fieri nullatenus poteſt, quin omnis vitæ idea pereat: & etiamſi pro tempore locum habere concedamus, vel ſic tamen vita ac valetudo ſuſtentari diu non poſſet illibata. Quum ergo certum ſit, omnino aliquod fieri partium diſpendium, quæritur, undenam illa reparatio neceſſaria contingat; homoque contra vulgarem naturæ legem ſupervivat, abſque quod cibi quicquam capiat.

§. VI. Quod ut aliquantum enodetur, primum de *ἀσιτοις* in genere dicam, viſurus denique, quatenus hæc ſpeciatim cum noſtro caſu congruant.

1o. Igitur notamus, corpori, incrementi ſui terminum adepto, tantum modo nutrimenti accedere debere, quantum ipſi quotidie per vitæ actiones deteritur (ψ); adeoque eo minus requiri, quo jactura minor facta fuerit; & viciſſim. Atqui vero docet obſervatio, in omnibus iſtis inediis talia adfuiſſe,

(χ) Cl. GAUBIUS *in Pathol.* §. 453. & F. HOFFMANNUS in *Oper. omn.* ſupplem. II. P. I p. 265. ſeq.

(ψ) Vid. SANCTORII *Med. Stat.* Sect. I. aph. I.

ſe, quæ particularum diſpendium quam minimum manifeſto arguunt, veluti: perſpirationem forte nullam (quis autem rite determinaverit?) vel certe inſigniter imminutam; ſecretiones & excretiones plerasque turbatas, alvinam plane cohibitam, ſæpe & urinariam; nervorum imperium quieſcens; ſenſuum exercitationes nullas; muſculorum motus, inceſſum, curſum &c. maximam partem ſublatos; humorum circulationem atque impetum debilem; pulſum languidum, parvum, contractum, obſcurum, ferme nullum; calorem imminutum; alia id genus. Quorum etſi non omnia ſimul, plura tamen, in aſitia occurrere deprehenduntur. (ω) Sequitur ergo, ut in hiſce exiguo admodum opus fuerit alimento. Quod undenam eis acceſſerit, poſtea inquirendum erit.

2°. Corpora laxa, phlegmatica, pituitoſa, jejuniis tolerandis præ cæteris apta ſunt: unde palam eſt, cur omnes fere diuturnæ abſtinentiæ contigerint in feminis (αα), & puellis jamjam puberibus, ſuc-

(ω) Vid. *Comm. Bonon.* T. II. P. I. p. 228, H. H. WALDTSCHMIEDT *diſſ. de his, quæ diu vivunt ſine alimento* ed. a. 1711. Et alii.

(αα) ibid. tum & J. P. LOTICHIUS in *Comm. ad Petron.* ed.

ſuccis præ ſexu potiori redundantibus (ββ), & ob laxiorem corporis habitum longe minus perſpirantibus. Dixit jam SENEX (γγ): „ Non conſuetam „ cibi abſtinentiam facilius in totum ferunt, qui „ partibus ſuperioribus pituitoſi ſunt. — Corpo„ ribus humidas carnes habentibus famem inducere „ oportet." Aetas ſenilis facillime quoque jejunium fert (δδ), quia propter circulationis tarditatem, calorem decreſcentem, nimiam ſolidorum rigiditatem, vaſcula plurima obliterata, longe minor fit humorum diſſipatio, minori proinde reſtauratione indigens.

3o. Pinguitudinem in animante quovis maximum adverſus inediam præſidium eſſe, ſunt qui affirmant; eamque ob cauſſam putat JACOBUS PERRAUL-

ed. Franc. ad Moen. a. 1629. 4. Lib. II. c. 5. M. SCHURIGII *Chylolog.* cap. IV.

(ββ) Hæc tamen ratio ambigua eſt. Cl. GAUBIO §. 455. humorum plenitudo inediæ ferendæ minus congrua ponitur. Et ſane vaſis, jam laxioribus, nunc ſucco diſtentis, ſupervenìens inanitio neceſſario hæc collabi, vireſque proſterni citius facere debet, quam in macilentis.

(γγ) *De rat. vict. in morb. acut.* Sect. IV. p. 389. ed. F. & aph. 59. Sect. VII.

(δδ) Vid. HIPP. Sect. I. aph. 13.

RAULTIUS Alpinis muribus modo triplex, interdum quadruplex, omentum a natura fuiſſe datum, ut cum diu lateant in ſummam ciborum anguſtiam adducti, habeant in omentis tam multis, unde alantur. (εε) Et ſane diuturni illi abſtemii ſumma tandem confecti macie cernuntur, ut quidam σκελετὸν potius quam corpus integrum retulerint. Quemadmodum optime imprimis eſt videre in effigie illa *Mariæ Iehnfels*, quam ſingularis ejus inediæ deſcriptioni, poſtea memorandæ, ſuperaddidit Doctiſſ. LOSZAU; cujusque veriſſimam Προσωπογραφίαν elegantiſſimis hisce verſibus dedit Poëta: (ζζ)

Hirtus erat crinis: cava lumina: pallor in ore:
Labra incana ſitu: ſcabræ rubigine fauces:
Dura cutis, per quam ſpectari viſcera poſſent:
Ventris erat pro ventre locus: pendere putares
Pectus, & a ſpinæ tantummodo crate teneri:
Auxerat articulos macies, genuumque tumebat
Orbis, & immodico prodibant tubere tali.

Serpentes fame diuturna macileſcunt. Adipis maſſulæ

(εε) Vid. in *Comm. Bonon.* I. I. p. 230.
(ζζ) OVIDIUS *Metamorph.* Lib. VIII. a vſ. 804.

ſulæ in chamæleonte, lacerto, rana, autumno plenæ reperiuntur, vere inanes ſunt (*ηη*). Contra,,, videmus, ait J. Fantonus (θθ), pinguiſſimos homines, ac præpinguia bruta inediam facillime pati." Quocum facit Ill. F. Hoffmannus (*ιι*), ,, pingues, inquiens, & obeſi inediam facillime ferre ſolent & poſſunt, ex nulla alia, opinor, ratione, quam quod natura ex ſuperfluo hoc ſucco nutrititio ſive pinguedine illud retrahere quaſi vel reſorbere poteſt, quod ad amiſſum reſtaurandum ſufficiebat."

Interim vero nutrititia hæc adipis facultas tam firmo nondum nititur talo, ut non plurimi etiam Phyſiologi in oppoſitam abeant ſententiam, idque alimenti genus rejiciant plane; praeſertim, cum aſſerant nonnulli, multa animalia, diuturno ſomno ſopita, dein ex latebris ſuis exire pinguia & craſſa. Scripſit jam Plinius (*κκ*) urſos mirum in modum ve-

(*ηη*) Vid. Bertram & Valisneri ap. Haller, *Elem. Phyſ.* T. I. p. 43.

(*θθ*) *Anatom. corp. hum.* p. 34.

(*ιι*) In *diſſ. de pingued. ſeu ſucco nutrititio ſuperfluo*, quæ eſt in Ejus *Oper. omn.* ſuppl. II P. I. p. 568. §. IX.

(*κκ*) *Hiſt. nat.* Lib. VIII. c. 54. Conf. Aristotel., Roesel. &c.

veterno pingueſcere, ut MARTIALEM (λλ) teſtari non oporteat. Quam ob rem magnus ipſe HALLERUS (μμ) judicium ſuſpendere mavult, donec de eo rectius conſtet.

Quicquid ſit; oleum tamen iſtud ex tunica celluloſa rurſus in ſanguinem revehi, conſentiunt omnes. Unde mihi quidem haud abſonum putatur, apprime id eſſe, ſi non alendo, cruorem temperando tamen, ejusque acrimoniam, absque nova identidem refectione inevitabilem, blando quaſi tegmine ad tempus obvolvendo ac demulcendo: cui quidem aptius eo exiſtit, quo certius eſt, nullam unquam ſubire putredinem cum volatilis alcalini, quo penitus caret, explicatione; ſed copioſo potius acido ſcatere. Nec refutat communis illa HUXHAMI, aliorumque obſervatio, adipem in hominibus & equis, violento corporis motu exagitatis, ſua orbari lenitate; acrem, rancidam, urentem, ſuſcipere corruptionem; peſſimas mali moris febres accendere; hinc obeſorum febres periculoſiores eſſe. Iſthic enim in ἀσίτοις metus nullus eſt, quibus quippe calor, & circulatio tam modica

(λλ) Lib. XIII. *Epigr.* 59.
(μμ) *Elem. Phyſiol.* Tom. I. p. 48.

dica eſt, ut etiam animalia illa, quæ hyemem inter ſomnos tranſigunt, penitus frigeant juxta HALLERUM. (vv) Vel ſic tamen fatendum omnino eſt, hoc nutrimenti genus temporarium eſſe, nec ſatis facere diu poſſe. Quum enim membrana adipoſa emungitur continuo, nec fons exhauſtus habet, unde impleri denuo poſſit, fieri aliter nequit, quin adminiculum hocce deficiat tandem, hominemque deſtituat.

4°. Eſt & aliud, quod inediam reddit tolerabiliorem. Conſuetudinis illam volo tyrannidem, quæ mentem corpusque in perpetuam ſui ſervitutem adducere ſolet; quæ nocentiſſimas rerum non naturalium qualitates tollit mitigatque; quæ ex peſtifero toxico innocuam parat inertemque potionem; verbo, quæ deterrima quævis in meliora, quin ſalubria, immutare potis eſt. Hac aſſueſcendi facultate corpus eo diſponi tandem poſſe, recte jam monuit BOHNIUS (ξξ), ut inediam portentoſam ſuſtinere in poſterum queat.

5o. Forte & privata quædam corporis habitudo, quam

(vv) *Elem. Phyſiol.* l. mox l., item T. VI. p. 176.

(ξξ) *De offic. Medic. dupl.* p. 371. Cæterum incredibilem conſuetudinis efficaciam egregie pro more ſuo expoſuit in Diſſ. ſua *inaugur. med. de Conſuetudine* Cl. HAHNIUS.

quam ἰδιοσυγκρασίαν vocant, facit, ut hi præ aliis homines apoſitiam facilius ac diutius perferant. De nonnullis ſaltem animalibus illud prædicant ſcriptores, velut de urſo, taxo, ignavo, chamæleonte, vulture leporario, aquila marina, corvo, ciconia, ſerpente, ſcorpione, cancro marino, aliis. (*oo*).

6o. Tenendum probe eſt, vixiſſe quidem jejunos iſtos ſine cibo, non tamen absque potu; aquam enim tantum non omnes bibiſſe. Hæc autem quam utilis ſit, quidve in tali rerum conditione præſtare valeat, paulo poſt disquiri oportebit.

7o. Denique notatu maxime dignum eſt, quotquot longas perpeſſi fuerunt ciborum abſtinentias, ob id ipſum plus minus valetudinarios fuiſſe, taciturnos, languidos, ſegnes, ad ſomnum proclives, maniacos, melancholicos, ſtultos, lecto ſuo adſtrictos, aliquos ſenſu pæne omni deſtitutos, ſtupidos, lethargicos, aut a nervis deſtructis inſenſiles, paralyticos, &c. in quibus naturæ ſtimulos, ut ait Hallerus, per ſurda organa anima non audivit, & omnis alibilis humoris conſumtio plane ſufflaminata

(*oo*) Conf. Waldtschmiedt *l. l.*, Jonston, Redi, Citesius &c.

ta eſt. (ππ) Et hoc quidem adeo verum eſt, ut apertam hanc propoſuerit Academia Bononienſis (ϱϱ) ſententiam. „ Unum eſt, quod fieri natura poſſe, „ obſervatio nondum oſtendit; ut ſcilicet inediæ „ tantæ ferantur *ſine noxa*; nam cum de multis au- „ diverit, multasque Beccarius legerit, nullam in- „ venit, quæ non vel ipſa eſſet morbus, vel mor- „ bos, aut certe moleſtias magnas afferret; nam „ quamvis dicantur nonnulli ex inedia recte valuiſ- „ ſe; tamen Beccarius dubitat; qui enim id di- „ cunt, valetudinis illius modum non ſatis accu- „ rate deſcribunt, ut videantur ne ſatis quidem „ accurate examinaſſe. Si ergo jejunium quis fe- „ rat ſine noxa, obſervationes quidem ſinunt, ut „ id in miraculis habeatur; nam id contigiſſe non- „ dum legimus; an ſit autem in miraculis haben- „ dum, prudentiæ judicium erit."

Similiter ad quæſtionem medicam Pariſiis propoſitam: „ an diu poſſit homo ſine cibo potuque & vi- „ vere & valere? reſpondit Cl. DE PAULA COMBA- „ LUSIER, quod diu quidem poſſit homo ſine cibo „ potuque vivere, *non vero valere* (σσ)."

§. VII.

(ππ) *Elem. Phyſiol.* Tom. VI. p. 175.

(ϱϱ) In *Comment. ſuis* T. II. p. 226.

(σσ) Vid. *Comm. de reb. in ſcient. nat. & med. geſt.* vol. I. p. 121. Nec aliter cenſet WELSCHIUS.

§. VII. Cauſſæ igitur modo enumeratæ, quantumvis rem non penitus exhauriant, faciunt tamen ad ſingularis inediæ rationem utcunque illuſtrandam. Credibile eſt, per debilem iſtam ſolidorum actionem, atque impulſum neceſſarium fluidorum deficientem, multa vaſcula minora torpeſcere, anguſtari, tandemque obſtrui & plane deleri; ſic imminui rurſus particularum detritum; nutritionem in nonnullis etiam plane ceſſare, imprimis in partibus à corde remotis. Docent exempla, ungues per inediam decreviſſe; capillos defluxiſſe (ττ); cutem ſæpius corii inſtar aruiſſe, ut nitidiſſima quoque, præ ſiccitate, apparuerit. Unde denuo liquet, quam ſit exiguum, quod jejuna iſta corpora amittant; quantillo proinde ad amiſſi reparationem indigeant? Si enim ſola tantum perſpiratio maximam (ſi non omnem) partem ſuppreſſa foret; hæc vero ex Sanctorii computo duas tertias omnium aſſumtorum fere adæquat, cernitur facile, neglectis etiam cæteris excretionibus, perparum opus eſſe, quo corpus nutriatur.

Con-

(ττ) Vid. Waldtschmiedt *l. l.* & Jo. Jac. Doebelius *in epiſt. ad J. F. Leopold*, quæ eſt in *Novis litterar. Germaniæ, Hamburgi collectis* ad a. 1709. p. 171.

Conſtat ergo, ſatis eſſe cauſſæ, cur vita ſub omni ciborum abſtinentia ſubſiſtere poſſit: vix tamen ejusmodi vitam eſſe integram, ſed imbecillem plerumque, languidam, aut plane ἀπαθῆν.

§. VIII. Hactenus expoſita cum noſtro nunc exemplo diligentius comparate. Quanta diſſimilitudo! Deſunt hic omnes pæne aſitiæ characteres, quos antea tam manifeſtos exhibui. Non ſanitatis adeſt defectus; non ſqualens in corpore macies; non torpor; non ἀναισθησία; nullæ, præter unam alvinam, cohibitæ excretiones. Sed omnia contraria: mentis æque ac corporis ſumma integritas; vires vegetæ, duriori quoque operi perficiundo adaptatæ; ſenſus (famen exceperis) muniis ſuis exſequendis idonei; circulationis vigor; ſecreta & excreta ſanitati congrua; ne ipſa quidem menſtrua continuo interrupta. Quin, quod omnem pæne ſuperat fidem, non tantum non humorum inopia, ſed copia, ſed nimia ſanguinis laudabilis abundantia, in jejunio tam diuturno etiam vaſis moleſta erat, ut prophylactica quotannis venæ ſectione ab inutili & gravante ſarcina liberari corpus oportuerit, ne detrimentum valetudinis, aut gravia forte mala, incurreret. Quænam, quæſo, iſta vis hæma-

matopoietica, quæ tantam perpetim generavit plethoram? Minor exſpiratio vix valuit, in alios quippe uſus convertenda (*vv*).

Perſpicitis facile, quicunque attenta paulo mente rem intueämini, quantum illud ſit, quod hanc inter & cæteras apoſitiæ hiſtorias intercedat, diſcrimen: ſimulque intelligitis, me etiam non monente, haud minori utriusque interpretationem differre gradu, neque multum lucis ſpargere quævis circa pleraque jejunia ante tradita. Vitæ & ſanitatis effectus perpetuos, dum ineluctabili Organiſmi lege

---

(*vv*) Celerem hanc *αἱματοποίησιν* in iis, qui tenuiter admodum vivunt, ſæpiſſime miratus quidem Cel. Tissot rationem ideo non aſſequitur. „Venuſtam, ait, virginem, gravibus
„ morbis ex turgente ſanguine obnoxiam, a triennio ſolis vi-
„ ventem vegetabilibus & aqua, vidi nihilominus largiſſima
„ menſtrua; narium hæmorrhagias copioſas & frequentes ex-
„ periri. Ineunte hyeme graviſſimam experta eſt pleuritidem,
„ nullis fugandam remediis niſi copioſis & frequentibus V. S.
„ largiſſimisque narium hæmorrhagiis. Tota hyeme tenuiſſime
„ ex oleribus pane & aqua vivit, 25 Martis denuo corripitur
„ ſæva pleuritide, iisdem fugata auxiliis. —— Feminam novi,
„ quæ a pluribus annis ſanguinem copioſe hæmorrhoidibus fun-
„ debat. Sancte juravit, quod unico anno 412 libras ſangui-
„ nis amiſerit; vivebat tamen, edebat, cubiculo ambulabat
„ &c." Vid. omnino Egregii Viri *Epiſt. medico-pract. ad Hallerum* p. 296. ſeq.

lege ad interitum ducant, nec niſi ſola per alimenta identidem refectione retardari ad tempus queant, ſicubi interrupte perennare, hanc autem ſubſiſtere absque damno, ſtupemus, abſconditum profecto Naturæ opus videtur, quod eruere mortalibus datum non eſt.

Quæ quidem omnia utut vera ſint, vel ſic tamen fieri ſecus non poteſt, quin aliqua utcunque particularum in locum detritarum (detritas enim fuiſſe citra dubitationem exiſtit) reſtitutio locum habere debuerit, qua ſine corpus ſuperfuiſſe ἀδύνατον plane foret. Neceſſe itaque eſt aut in iis, quibus uſa fuit femina, latuisſe pabulum, aut certe aliunde adveniſſe. Hæc igitur ex quibus cauſſis acceſſerint, digna res eſt excuti.

§. IX. 1°. Primarium in cenſum venit *Aqua*, quæ num veram nutriendi habeat facultatem quæritur? Non deſunt, qui argumentis & experimentis eandem probare conati fuerunt, viri celebres. Veterum plurimi ſtatuerunt, negarunt alii, ſinguli pro diverſa, quam de corporum principiis conceperant, opinione (φφ). Recentiores tentaminibus ſuis atque

(φφ) Antiquorum Hipp., Galen., Ariſtot., Oribaſ., Avicen-

que exemplis variis plenam tribuerunt fidem. HELMONTIUS (χχ) primus *Salicis* ſurculum ſolius fere aquæ benificio in arborem læte excreviſſe vidit. Hunc imitatus poſtea BOYLEUS (ψψ) experimenta cepit cum ranunculo, mentha, peponibus & cucumeribus. Pericula multa quoque fecerunt in Suecia TRIEWALD & in Anglia MILLERUS. Similibus operam dedit ELLERUS, & notabile exemplum, inter alia, propoſuit in ſemine peponis (ωω). Imprimis vero multum ſtudii & laboris in repetendis noviſque addendis hujusmodi tentaminibus poſuit Cl. DU HAMEL (*a*), docuitque, multas non ſolum plantas in muſco & ſpongia humida progerminare, ſed, ne quis opinari poſſet, ex his corporibus aliquid nutrimenti attrahi,

---

cennæ, &c. ſententias collectas Vid. ap. FORTUN. LICETUM *de his, qui diu vivunt ſine alimento* L. II. p. 52. & ſeq. ed. Patav. fol. a. 1612. M. SEBIZIUM *de aliment. facult.* p. m. 1265 & 1483. & L. NONNIUM *in Diætetico* p. m. 436. ſeq.

(χχ) In tract. *de magnetica vulner. curatione.*

(ψψ) In *Chemiſta ſceptico* Parte II.

(ωω) Vid. *Hiſt. de l'Acad. Roy. des ſciences de Berlin* a. 1746 & 1748.

(*a*) Vid. ex *Hiſt. de l'Acad. des Scienc. de Par.* a. 1748. *Comm. de rebus in ſcient. nat. & med. geſtis* vol. II. p. 605. Conf. iidem *Comm.* vol. XI. p. 144.

hi, in ſola aqua eos diſpoſuit, viditque, præter alia bene multa, quercum per octo annos læte virentem, citiusque excreſcentem, quam ſi in terra optima plantata fuiſſet. Curioſi Floræ cultores ſeſe quotannis hiſce artificiis delectare ſolent. Piſces pariter vitreis vaſis detenti diu ſatis aquâ, pro nutrimento, vivunt. Nec multorum hominum exempla aliter evincunt. Ex qua experientia, ut fundamento præcipuo, aquam ad nutritionem perficiendam aptam eſſe atque idoneam concludit Cel. BONNET, aliique memorati. (*b*) Et quamvis nonnulla huic ſententiæ obſtare videantur: velut non perpetim nec omnes plantas diu ſic vegetare poſſe; easdem non aqua ſola, ſed & aëre gaviſas fuiſſe; &, ſi etiam hæc admitteretur, nimis tamen lubricam eſſe analogiam, quam ut ad corpus animale tuto poſſet transferri; &c. ſufficit tamen, ſi ad tempus hoc alimenti genus inferre liceat; præterquam quod nihil habeat hæc analogia, cur repudiari debeat; habent enim plantæ & ſuccos catholicos, &, quos ſingulæ ſibi parant, privos cuique, quin eidem, pro diverſa fibrillarum & vaſculorum textura diſcrepantes, non crudos, ſed maxime elabora-

(*b*) Conſentit etiam HALLERUS *Elem. Phyſ.* T. VI. p. 238.

boratos coctosque, infinitis qualitatibus a mera aqua diſtinctos; quibus certe ſi aqua materiem poſſit præbere, quidni & animalibus? quæ ſane non uno nomine ſtirpibus ſunt affinia. (*b**)

Nonnulli ARISTOTELEM ſecuti ideo aquam alere negarunt, quia ſimplex ſit elementum, nec tale unquam nutrire corpus mixtum poſſit. Sed quis neſcit? aquam, pluvialem imprimis, dum per atmoſphæram labitur, plurima heterogenea una ſecum devehere, hinc non inepte lixivium aëris vocari, terræ ſubtiliſſimæ particulam, ſalis non nihil, & aëris magnam habere copiam, nec proinde in rerum natura exiſtere puriſſimam, omnis mixtionis expertem.

Interea, ne quid diſſimulem, dicendum utique eſt, vel ipſam hanc aquarum dyſcraſiam rem minime abſolvere; docuit enim Chemicorum ſolertia, præter terræ ſubtilis, vitreſcentis; ſelenitici, nitroſi, & marini ſalis; forte & martis principii tantillum, nihil amplius ineſſe, quod in cenſum trahi meretur. Quem irretitum tenet, aër, copioſus quidem, attamen non eſt, quod attendatur, quum & ſejunctum ab aqua conſtituat elementum, & commodior ampliorque ei pa-

(*b**) Conf. Magni CAMPERI *Oratio de Analog. inter animalia & Stirpes. Gron.* 1764.

pateat aditus, quo corpus penetret, permeëtque. Phlogiſton, ſi quid habet, perexiguum eſt, nec ſane corpori alendo ſufficiens. A ſola itaque terreſtri illa & ſalina particula omne, quod aquæ tribuitur, alimentum foret repetendum. Sed exquiſita, a ſolertiſſimo Chemico Cl. HAHNIO facta, tentamina demonſtarunt, perparum hujus materiæ ex aquis elici, & longe minus, quam a BOYLEO, MARGGRAFIO, WALLERIO fuit proditum, ejusque bonam inſuper partem per violentum ebullitionis motum, qui ſub finem deſtillationis requiritur, de parietibus vaſorum veroſimiliter abradi. (*c*) Deinde num ipſa hæc materies nutriendo par ſit, merito dubitamus. Quod autem aqua contineret omnia, quæ de animantium corporibus per chemicam analyſin eruuntur, principia, ideoque ſuum cuique, quo eget, ſuppeditare poſſet pabulum, hoc nonneminis effatum ignorantiam in chemicis & temerariam affirmandi libidinem prodit.

Nutrit ergo aqua utut tenuiter, non, quatenus ipſa ejus

(*c*) Vid. Nobiliſſ. G. A. TAETS VAN AMERONGEN Diſſ. egregia *de Elementis* p. 84. ſeq. —— MARGGRAFII experimenta Vid. ex *Actis Berolin.* in *Comm. de reb. in ſcient. nat. & med. geſt.* vol. III. p. 248., WALLERII *in Act. ſuec.* vol. XXII. a. 1760.

ejus elementa corporis iisdem examuſſim reſpondeant; ſed incognita quadam proprietate, ipſis globulis aquoſis competente.

Eſt vero alia, momentoſa magis, aquæ utilitas: quum enim totum corpus maximam partem ex aqua conſtet; hæcque materiem fere omnem inſenſibili Sanctorii halitui præbeat, liquet, ad utriusque integritatem aptius nihil aut neceſſarium magis hoc fluido exiſtere. Hujus aquæ beneficio potentiſſima corporeæ mortis inſtrumenta obtunduntur: ſalium oleorumque noxia exaltatio & acrimonia impeditur; horumque de ſanguine ſeparatio promovetur; blanda humorum temperatio conſervatur; nimius calor, attritus, ſiccitas, præcaventur; circulatio ſuſtentatur; vaſa in juſta extenſione ſervantur. Ulterius, ut magnum Artis oraculum (*d*) conſulamus, „ Vita in animalibus nulla omnino, niſi ope „ aquæ, hæc etenim humorum pars blandiſſima, „ fluidiſſima, tenuiſſima, maximeque penetrabilis „ per omnia, vel minima, vaſcula corporis. Hu„ jus imminutione tantum nimia vita ſtatim deſi„ nit;

(*d*) Boerhaavium volo in *Elem. Chem.* Tom. I. p. 615. in fine. Conf. Cl. viri *Prælect. in propr. Inſt. med.* Tom. III. p. 281.

„ nit; ſanguine mox, cæteriſque humoribus nul-
„ lo amplius modo meabilibus. — Omnis quoque
„ vitæ actio debetur aquæ; hæc etenim efficit, ut
„ apti evadant humores ferri per vaſa. — Ipſa ſa-
„ nitas, quæ ſumma vitæ perfectio, omneſque ad
„ hanc deſideratæ actiones, aquæ magis, quam aliis
„ rebus debentur, & perficiuntur. Incrementum
„ corporis aqua imprimis abſolvitur. — Mors ip-
„ ſa longe frequentius defectu aquæ in hominibus
„ excitatur."

Hinc itaque ἀσίτοις uberrimus fons, quo defectum cibi utcunque potione levent. (*e*)

§. X. 2°. Aquæ in nutriendo efficaciam procul dubio adauxit *Thea*, qua erat imbuta. Quapropter non abs re cenſeo hac occaſione nonnulla, breviter tamen, de hiſtoria & proprietatibus hujus herbæ præmittere.

Vulgaris opinio eſt, differentiam *theæ* principem, quæ in *Viridem* & *Bokeam*, ſeu *Bohé*, *Bou* diſpeſci conſuevit, in uſtulationis foliorum diverſa ratione conſiſtere, & ad hanc laminam ferream, ad illam

(*e*) Vid. Ill. GAUBII *Inſt. Pathol.* §. 454.

illam cupream adhiberi. Scripſit ita P. Osbeckius (*f*), ſcripſerunt & alii. Quocirca notari velim, diſtinguendam verius eſſe *theam* in *viridem* & *nigricantem*, hujusque poſterioris ultimam & viliſſimam ſpeciem tantum conſtituere *Bohe*: deinde falſum eſſe, quod *viridis* illa ſuper lamina cuprea uſtuletur; quum certum ſit, viridem in umbra ſiccari, nec unquam igni exponi: utriusque præterea discrimen in diverſo, qui hanc herbam largitur, frutice (*g*), & vario, quo colitur, ſolo, eſſe quærendum: nec ideo colorem viridem ab ære, vel ut aliis placuit, ab admiſto vitriolo viridi, (*h*) acceſſiſſe. Dicuntur etiam Chinenſes theam adjectis aliis foliis adulterare (*i*); quod uti ab Europæis mercatoribus fieri notiſſimum eſt, ita de Chinenſibus citra veritatem prædicatur. Nec rectius

---

(*f*) In itinere ſuo per Indiam Vid. *Comm. de reb. in ſcient. nat. & med. geſt. Primæ Decad. ſuppl.* III. p. 473.

(*g*) Ex eodem frutice colligi refert J. Cuningamius Vid. G. Cheynaeus *de ſanit. tuend.* p. 88.

(*h*) Vid. Germanica, quatuor, verſio nuper a. 1776. Lipſ. ed. *Geſchihte des Thees und Koffees von Herren* J. C. Lettsom *und* J. Ellis p. 52.

(*i*) Ita legitur in *Wysgeerige en Staatkund. Geſchied. van de Bezitting. der European. in de beide Indien* II. D. bl. 327. Amſt. 1776. 8.

tius narratur, Chinenſes hac planta non uti, antequam duodecim menſes aſſervata fuerit, utpote recenti vi ſoporifera prædita (*k*).

Quæcunque hic prolata ſunt, honorandæ debeo amicitiæ viri ſpectatiſſimi A. E. VAN BRAAM HOUCKGEEST, Societatis Harlemo-Batavæ Moderatoris omniumque ſcientiarum fautoris eximii: tantoque hæc majoris erunt momenti, quo certiorem harum rerum peritiam ſibi comparavit vir meritiſſimus, dum per plures annos Theæ commercio Batavo apud Chinenſes præfuit. (***)

Hæc de theæ diverſitate. §. XI.

(*k*) Ita KÆMPFERUS *in Amoenit. exot.* p. 625.

(***) Lubet varias theæ ſpecies ipſis Ornatiſſ. Viri verbis exhibere:

„ *De groene en zwarte Theën worden in onderſcheiden landſtre-*
„ *ken gecultiveerd; en waſſchen aan byzondere heeſters.* De ſoor-
„ ten zyn deze:

Heeſters Groene Thee.

„ I. Pou-cul. geeft 1. Hyſant-ſchu, *welke de eerſte*
„ *pluk en 't fynſte blad is van deze heeſter; word ſterk in een gerold en*
„ *gelykt daarom veel na muiſekeuteltjes.*

„ 2. Hyſant. *Is minder als de voorn. dog egter een der fynſte*
„ *Theën, wordende weder onderſcheiden in* 1, 2 *en* 3 *ſoorten.*

„ 3. Hyſant-skin. *Is de minſte ſoort, zynde zeer los van blad, en*
„ *is in qualiteit niet zoo veel verſchillend als de andere Thée.*

„ II. Song-lo 1. Bing of kyſers Thée. *Is de eerſte pluk van deze*

 „ *heeſter*

§. XI. Accedimus ad uſum. Mireris ſane, quantus ſit Medicorum de ingenio ejusque dotibus diſſen-

---

„ *beeſter en bet beſte blad, dog is ongelyk minder, dan de Hyſant-*
„ *Thee, en loſſer van blad, 't welk groen is.*

„ 2. Tunkay. *Is minder dan de Bing; dog volgdt dezelve naby,*
„ *en is in zyn ſoort niet zeer verſchillend in qualiteit; is helder*
„ *groen van couleur, iets na 't blaauw trekkend.*

„ 3. Song-lo. *Is de minſte der groene Thée, zynde veel loſſer*
„ *van blad, dan de Tunkay, en vaal groen van couleur.*

Swarte Thée.

„ III. Long-An. 1. Soutchong. *Is de benaaming van het eerſte*
„ *en fynſte blad, welk de geurigſte en beſte Thée opleverdt; dog*
„ *beſtaat in verſcheide ſoorten in qualiteit.*

„ 2. Congo. *Is de ſoort die op de bovengem. volgdt zynde minder*
„ *van qualiteit, zoo dat de ſlegtſte ſouchong voor beſte Congo kan*
„ *gedebiteerd worden.*

„ 3. Li-tchi-ching. *Is de naam der wollige knopjes of eerſte*
„ *uitſpruitſeltjes des booms, welke in geen grote quantiteit verſameld*
„ *worden, en zeer duur zyn, wordende ook wel* pluimthée *genaamd;*
„ *is van geen gebruik op zig zelven, maar om onder andere Thée*
„ *te mengen, die daar door zeer geurig word.* —— *Eigentlyk*
„ *word van deeze knopjes of pluimtjes, gemengd met* Soutchon *of*
„ Congo, *de volgende,*

„ 4. Pac-hóó of Pecco. *geformeerd — die na mate derzelver*
„ *qualiteit Soutchon Pecco of Congo genaamd word, want Pac-hóó*
„ *betekent in 't Chin. wit blad.*

„ IV. Wou-y, of Vou-y *geeft* Thée Boey. *Is de gemeenſte van*
„ *al de Thée, hebbende een grof blad; egter onderſcheidt men de-*
„ *zelve al meede in beter en geringer ſoorten, na mate die van 't*
„ *eerſte, tweede, of derde plukſel is.* —— *Deeze ſoort is de*
„ *eenig-*

ſenſus, ut hos videas quoſcunque ipſi inurere vituperii nævos, & tanquam infeſtiſſimum humano gene-

---

„ eenigſte, welke aan vermenging met wilde bladen onderhevig is; want de Chineeſen zouden hun fynere Thée niet exponeren aan die grote vermindering van prys, welke de vervalſching zou veroorzaken, en de Europeanen examineren de gekogte partyen te naauwkeurig, dan dat eenige valſche Paccagie zoude doorſlippen —— de Thée-boey zelve word zeer exact geobſerveerd, zo dat de vervalſching in dezelve al meede gering is, en mogelyk eer toeteſchryven aan onkunde van kinderen, die de Thée helpen plukken, dan aan een voorbedagte vermenging, wyl de koſten voor 't valſch of goed blad te bewerken dezelven zyn, en de Cooplieden by ontdekking de vervalſte Thée niet konnen leveren. De gemene gerugten hieromtrend overtreffen de dagelykſe ondervinding zeer verre.

„ 'Er zyn nog veele anderen bynamen van Thée onder de Chineſen bekend: dog die worden veroorzaakt door de qualiteiten en de bewerking van 't blad; wordende behalven de gewone wyzen nog zommige Thée in balletjes, andere in kleine bosjes of roedjes geformeerd, en dan door byzondere namen onderſcheiden.

„ Ik heb alles na myn beſte kunde en leering opgegeven. Is 'er eenige verkeerdheid in opgeſloten, zo ben ik die aan de ontrouw en valſche onderrigting der Chineeſen verſchuldigd. Alle berigten uit China zyn van dien zelven aart. Niemand kan by zyn ondervinding of eigen onderzoek en naſpeuring ſpreeken; wyl het aan geen vreemdeling vergund is buiten de voorſtad van Quantong te komen, ik gezwyge van eenige togt landwaard in te doen. De Roomſche Misſionarisſen geven wel breed op, maar men kan 'er niet op vertrouwen. Hy heeft goed liegen die van verre komt. By gebrek van betere ondervinding kan men hen niet tegenſpreken."

neri venenum execrare, audias illos inſigni laudis cumulo eandem cælitus extollere, & ſplendido quovis *Panaceæ*, *Nepenthis*, *Panchreſti*, *Macrobii*, *auri potabilis* &c. præconio celebrare. Poëtæ quoque, gens alias Baccho devota, Theæ panegyrin cantarunt: PETR. PETIT (*), P. FRANCIUS(†), JOH. GOTH. HERRICHEN (‡). Aram Divæ Theæ ſacram poſuit J. N. PECHLINUS (§). Imprimis noſter BONTEKOE tantus ejus fautor & potator exſtitit, ut longævitatem hinc & vitam pæne æternam promiſerit aliis, qua ipſe ſcala delapſus præmature caruit (*l*). Sic ſæpius vana ſpes auctorem miſere deſtituit.

Iliacos intra muros peccatur, & extra (m).

Miſſis igitur extremis, videndum erit, num tutius in centro verſari poſſimus, ſolis experimentis & obſervationibus eo verſus ducti. Namque

Il-

(*) Med. Paris. *Thea carmen ad* P. D. HUETIUM Lipſ. 1685. 4.

(†) *in laudem Thiæ ſinenſis Anacreontica duo* Amſt. 1685. 4.

(‡) *De Thea herba Doricum Melydrion.*

(§) in *dialogo Theophilus Bibaculus* Francof. 1684. 4.

(*l*) Ut recte habet TRILLERUS in *Diſpenſat. Pharmac.* Tom. I. p. 143.

(*m*) HORAT. *Lib.* I. *Epiſt.* II.

Illud, quod medium eſt atque inter utrumque, probamus (*n*).

Analyſis chemica a TH. SHORT (*o*), LETTSOM, aliisque, inſtituta duplex in Thea principium agnoſcit, fixum & volatile. Semi libra theæ viridis, deſtillatione cum aqua, exhibuit unicam liquoris pellucidi, penetrabilis, fragrantiſſimi unciam. Reliquum inſpiſſatum dedit extracti amari, ſtyptici, fere uncias quinque cum ſemiſſe, adeoque pæne $\frac{3}{4}$ totius. Extracti aquoſi $\frac{7}{12}$, ſpirituoſi $\frac{7}{16}$ obtinuit NEUMANN. Phlegma illud odoriferum aperto ranæ ventri & nervo ischiadico aſperſum ſtuporem, paralyſin, ipſamque mortem induxit; dum aqua reſidua, neque extractum aquæ ſolutum ullum præſtitit effectum. Ejusdem aquæ dr. ij. in homine delicatulo excitarunt nauſeam, laſſitudinem, torporem univerſum &c. Caro bovilla, quæ in ſimplici aqua intra 48 horas putrescebat, in infuſo theæ poſt 70 demum horas ſigna quædam inſtantis putredinis monſtravit. Similis infuſio cum vitriolo martis pigmentum conſtituit atro-purpurascens. (*p*)

Ex

(*n*) MARTIAL. *Lib.* I. *Epigr.* 58.
(*o*) *Diſcourſes on Thea, ſugar, milk*, &c. 33. Lond. 1750. 8.
(*p*) Vid. LETTSOM p. 71. ſeq.

Ex quibus manifeſtum eſt, ſummam theæ ineſſe penetrabilitatem & volatilitatem; ineſſe vim ſtupefacientem, narcoticam; aliquantum antiſepticam; adſtringentem, amaram. Nec difficile eſt ex iisdem repetiiſſe quævis a ſcriptoribus paſſim obſervata in humano corpore theæ effecta. Homines illi, qui diu multumque in tractanda & agitanda thea operari ſolent, attracta per nares & aſperam arteriam pulverulenta ejus parte, ſibi hæmorrhagiam narium, hæmoptoën, tuſſim, concitaſſe viſi ſunt. Interim vero ſi duplicem imprimis, quæ in thea concurrit, virtutem tonicam illam, excitantem, & ſedativam rite conſideremus, dicendum utique eſt, vix aliud præſtantius aut efficacius fingi poſſe medicamentum; quod enim per ſe nimiam nervis vim inferret ſubtile iſtud principium, nunc fixiori parti alligatum eximii plane uſus eſſe poteſt, ſicubi juſto moderamine uſurpetur. Infuſum theæ in phlogoſi maxime prodeſſe, res docet & ratio; namque blanda, quam impetuoſo nervorum imperio conciliat, quiete humores vi febris exagitatos pacat; vaſculorum criſpaturas ſolvit; æſtum temperat; ſpiſſum cruorem attenuat; clauſa cutis ſpiracula reſerat, ſicque morboſo ſtimulo liberum facit exitum. Nihil profecto deſiderari aptius poteſt. Hinc quo-

que

que ejus uſum in morbis acutis & inflammatoriis commendavit TH. PERCIVAL (*q*). Cephalalgiæ pertinaci ſæpius præſentaneam tuliſſe opem vidi. Cardialgiam moleſtiſſimam haud ita pridem frigida theæ infuſione ſanatam novi. Profuſum menſium fluxum ſola Thea Bohea cohibuit PERCIVAL. Arthritici & podagrici uſum ejus egregium experiuntur. Lithiaſi quoque obeſſe creditur. Certum eſt, in Patria noſtra, dum crebrior theæ potus invaluit, rariores occurrere, quam olim, calculoſos; quod num ipſi herbæ, an diluenti ipſius vehiculo, tribuendum ſit, dubitatur. LETTSOM (*r*) ex analogia uvæ urſi, ſimiliter adſtringentis, repetit. Dicuntur etiam Chinenſes & Japonenſes raro, vel nunquam, arthritide, iſchiade, aut calculo laborare. (*s*) His potiſſimum Thea adamatur, & ad omnes pæne morbos adhibetur, non ſimplex tantum, ſed & aliis commixta: ſic laudatur aceto incocta contra cardialgias inveteratas, renum dolores, diarrhæam, & te-

---

(*q*) *Vid. Comm. de reb. in ſcient. nat. & med. geſtis* vol. XVI. p. 600.

(*r*) ibid p. m. 109.

(*s*) Vid. VALMONT DE BOMARE *Diction.* D. II. bl. 542. Conf. etiam UNZER *de Artz* II ſt. bl 300. ſeq.

tenesmum; cum rad. Zingiberis adverſus vomitum, & quævis cordis mala; cum alumine in pollinem redacta ſummum cenſetur cujusque veneni antidoton; accenſæ fumus pruritum variolarum ſedare dicitur (*t*). Paratur eis quoque extractum aquoſum ex *Bohé*, quod in formam ſolidam tabellarum inſpiſſatur, & magno venit pretio, in Medicina tantum aqua ſolutum uſurpandum. Poſſideo ejusmodi tabellam ſat magnam benivolentia viri, ſupra jam honoris & gratitudinis ergo nominati. Colorem habet nigrum, ſaporem & odorem non injucundum, leviter adſtringentem, terræ Catechu æmulum; nec dubium eſt, quin hæc ei admixta ſit; unde videtur huc pertinere, quod ſcripſit CUNINGAMIUS, theam Bohe terrâ Japonicâ apud Chinenſes imbui (*u*). Friabile eſt & in aqua facile ſolvitur, hancque turbidam reddit & fuſcam. Cum marte atramentum facit; & color ejus per alcalia ſaturatio fit.

Potentior longe Thea foret, niſi vim frangeret conſuetudo, unde nonnulli in pulvere præbue-

(*t*) Plura Vid. apud DU HALDE *deſcript. de l'empire de la Chine* &c. Tom. III. p. 590.

(*u*) Vid. CHEYNÆUS *de ſanit. tuend.* p. 88.

buerunt (*v*). Lacti leviter incocta dat remedium in multis morbis excellens. Poſſet extractum tanquam ſtomachicum, aut leniter ſtypticum in ſanguinis aliisque profluviis utiliter exhiberi. Nec forte incongruum foret primum illud theæ phlegma, fragrante ſpiritu rectore foetum, ob vim peculiarem excitantem cum narcotica junctam, in multis nervoſi generis tumultibus componendis restricta paucarum guttarum doſi propinaſſe. Hac fortaſſe vi legitur thea epilepſiam in puerpera ſanaſſe, convulſiones in puero ſuſtuliſſe, vertigines curaſſe (*w*). Imo literatis & ſtudiis incumbentibus prodeſſe, uſus quotidianus docet; excutit enim torporem, ſenſus alacres reddit, judicium acuit. Itinere & opere feſſos mirifice reficit recreatque, ut ipſi cibo præponant; expertus loquitur Kalmius (*x*).

Interea moderato ſub uſu laudabilis herba prava ſæ-

(*v*) Lettsom theæ viridis gr. XXX. omni trihorio vel quadrihorio in inflammatione dedit, viditque omnia ſymptomata mitigata, perſpirationem inſigniter promotum, calorem & vigilias minuta, vomituritionem tamen initio productam p. 107.

(*w*) Vid. *Algem. Oeffenſchool van Konſt. en Weetenſch.* VI D. *Mengelw.* bl. 191.

(*x*) *Reis door Noord-America* I D. bl. 155. & II D. bl. 77.

ſæculi intemperantia in peſſimum ceſſit abuſum, & magnam ægritudinum cohortem clanculum invexit, & hodienum adauget; „ Omnium enim perturba„ tionum fons eſt intemperantia (§)" & foecundisſima mater, ex qua

Circumſilit, agmine facto
Morborum omne genus.

Hinc illæ lacrymæ! Pueri, accepta per traducem parentum labe, gignuntur debiles, cacochymici, acido & vermibus exeſi, ſcrophulis infarcti, tympanitici, rhachitici, atrophici; juvenes & viri hinc emolliti, torpidi, maciati, melancholici, hypochondriaci, flatibus anxii, paralytici; virgines marcidæ, deciduis genarum roſis pallidæ, lividæ, foeda leucorrhœa (*y*) diffluentes, chloroſi virides, fluctuante latice tumidæ, hyſterîa ſuffocandæ, ſteriles. Verbo, hinc toties auditæ & ad nauſeam fere repetitæ querelæ de omnigenis nervorum affectio-

(§) Tullius Lib. IV. *Diſp. Tuſcul.* cap. 9.

(*y*) Ex hac cauſſa fluorem album tam univerſum in Helvetia eſſe, ut etiam puellas decennes vexet, exiſtimat Cl. J. G. Zimmermann Vid. Cel. Sandifortii *Nat. en Geneesk. Biblioth.* IV D. bl. 696.

tionibus, quæ numeroſæ adeo noſtra ætate invaſerunt, ut etiam medicis plurimis ignorantiæ aſylum haud raro præbeant, eisque nullus non morbus nervoſus audiat; haud ſecus ac antiquiores, EUGALENUS, aliique, cuicunque ſcorbuticam tribuerint cauſſam.

Non eſt tamen, quod diffitear, omnia, quæ theæ uſum ſequi videmus, mala aquæ calidæ, cujus ingentem quotidie quantitatem ingurgitant bibaculi illi, potius, quam ipſis theae foliis eſſe adſcribenda; praeterquam enim quod parum ſaturata talis infuſio bibi ſoleat, aſſuescendi facultas noxiam, ſi quae ſit, qualitatem emendat & infirmat, eamque additum lac & ſaccharum inſuper diluunt. Accedit, quod aliae quoque herbae ſimili modo potae ſimiles effectus producere obſervantur, velut ſalvia, mentha, meliſſa, rosmarin., valeriana (z). De hac calidae efficacia nemo quisquam dubitat, quum ipſe HIPPOCRATES (a) fatetur, „calidae copioſiorem uſum haec parere incommoda, carnium effoeminationem, nervorum impotentiam, mentis „tor-

(z) Vid. LETTSOM p. 79.

(a) *De liquidor. uſu* vol. I. p. 600. ed. L. p. 425. ed. F. Conf. Sect. V. aph. 16.

„ torporem, ſanguinis profuſiones, animi deliquia." Et latiniſſimus ille Celsus (*a**) conſentit, nimium ejus uſum „ corpus effœminare, nervos emollire, „ ſtomachum ſolvere, — concoctionem prohibe- „ re, ſomnum auferre, ſudore digerere, obnoxium „ morbis peſtilentibus corpus efficere." Quaerit Boerhaavius (*b*): „ Nunquid errat, qui abu- „ ſum Theae damnans, ſolis foliis imputat mala, „ ubi tam magna pars fuit aqua fervida?" Nec aliter cenſent Ill. van Swieten (*c*), Cl. Spielmann (*d*), Cheynæus (*e*). Mirum videri poſſit, ſcripſiſſe Cel. Zückert (*f*), theae potum calide ſorptum ſalubriorem eſſe, quam tepide: experientia interim in plerisque hominibus hanc veritatem probat; tepida ventriculo inimica ſunt, nauſeam movent, nec ſtimulum illum neceſſarium fibris vaſisque addere videntur, quo abſorberi aut expelli cito

(*a**) *De Med.* Lib. I. cap. 9.

(*b*) *Elem. Chem.* Tom. II. p. 24.

(*c*) *Comm. ad aph. Boerh.* Tom. V. p. 587.

(*d*) *Inſtit. mat. med.* p. 432.

(*e*) *l. laud.* p. 90. Conf. omnino J. A. Heinii *Meditationes de noxis ex abuſu calidæ* Lipſ. 1747. 4. & S. Th. Quelmaltzii *progr. de infuſo fol. Theæ.*

(*f*) *Mat. alimentar.* p. 322.

cito ſatis poſſit aqua, ſed laxando torporem inducunt, diſtenſionem moleſtam faciunt, flatus gignunt; atque hinc Celsus (*f**) noſter jam monuit „ alieno ſtomacho eſſe omnia tepida."

Sunt tamen, quibus Thea peculiari vi nocet. (*g*)

Noxiam theae qualitatem adimi, permixto ſerpillo, contendit Cl. Cullen (*h*). Laudant alii Fl. Chamomillae. Utiliter ei affunditur lac cum Saccharo, niſi quod nimia interdum fermentandi facilitate Saccharum nocere poſſit, praeſertim hyſtericis, quibus dulcia adverſari jam Forestus (*i*) notavit. Nihil veri praedicant, qui pravos theae effectus pendere putant ab odoramentis, oleis eſſentialibus, ſpirituoſis fragrantibus, ipſi adjectis; parciſſima doſis, praeter odorem, vix quicquam efficit; nec uſus frequens eſt. Multo minus offendet radix Iridis Florentinae, quae viridi theae, odoris violacei gratia, nonnunquam additur ab Europaeis. (*k*)

Co-

(*f**) Lib. II. *de Medic.* cap. 25.

(*g*) Notabile exemplum habet Lettsom p. 80. 81.

(*h*) *Mat. med.* p. 249, 358.

(*i*) *in Schol.* obſ. 28. Lib. XXVIII. Conf. Pathologus §. 470. & Raulin *traité des affections vaporeuſes du ſexe.*

(*k*) Vid. V. de Bomare *Diction.* D. II. bl. 641.

Copioſo theae potu ſomnus fugari obſervatur (*l*), quod tamen in vehiculo tenui, aquoſo, diluente, quaerendum videtur (*m*). Hoc etiam incommodi ſaepiſſime creare ſolet, ut brevi poſt paſtum hauſta ructus cieat nidoroſos, cum faucium ardore, & ſoda ingratiſſima, inprimis ſi alimenta pinguiora fuerint aſſumta; ideo forte, quod nimia liquidi copia menſtruorum vim ſaponaceam diluendo miſcelam partium oleoſarum prohibet, hasque a reliquis ſejungit, ſupra ſe vehit, atque ita ranciditatem facilius concipere facit.

Docent memoratæ theae dotes, in hac quoque adminiculum quoddam adverſus inediam fuiſſe: vim ejus antiſepticam & adſtringentem humorum corruptionem arcuiſſe; amaram fibras roboraſſe; ſtimulantem corpus forte refeciſſe; aut narcoticam, ſi priorem ſuperaverit, fortasſis ventriculi & inteſtinorum nervos contra ſolitos famis ſtimulos munivisſe; cumque multum ſane fixioris theae partis in ſe ſuscipiat aqua, veroſimile eſt, inde nonnihil corpus fuiſſe nutritum.

§. XII.

(*l*) Vid. ZIMMERMANN *l. laud.* p. 695.

(*m*) Conf. BOERH. *Chem.* T. II. p. 25.

§. XII. 3°. Sequitur *ſaccharum*. Antiquiſſima eſt aſſertio, „ quicquid nutrit ex genere dulcium eſſe (*n*). " Confirmarunt dulcium nutritionem HIPPOCRATES (*o*), & CELSUS (*p*); ex recentioribus G. W. WEDELIUS (*q*), P. HERMANNUS (*r*), GEOFFROY (*s*) F. HOFFMANNUS (*t*), SPIELMANN (*u*). Poteſtque hæc res cum a priori, ut loquuntur, tum ab ipſo uſu haud difficulter ſtabiliri. Continet ſaccharum gelatinoſi, viſcidi, multum, nec exiguam olei copiam, unde alendæ flammæ par exiſtit. „ Analyſi chemica, ex ſacchari albiſſimi libr. ij. prodierunt phlegmatis limpidi, inodori & inſipidi unc. j., gr. 36. liquoris limpidi, dein rufeſcentis & empyreumatici, tum acidi, tum urinoſi unc. 12, dr. 6. olei rufeſcentis tenuioris dr. 6; ſpiſſioris unc. 2, dr. 3, gr. 44. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat unc. 8, dr. j. gr. 43, quæ per horas quindecim „ igne

(*n*) Verba ſunt PERGAMENI L. IX. *de ſimpl. med. fac.* c. 10.
(*o*) *Lib. de Diæta* II. p. 230. vol. I. *ed. Lind.*
(*p*) Lib. I. cap. 3. *de Medicina.*
(*q*) *Exercitat med.-philolog.* exerc. V.
(*r*) *Cynoſura mat. med.* P. I. c. 8. *tit. ſacch.*
(*s*) *Mat. med.* Tom. II. p. 746.
(*t*) *Oper. omn. ſuppl.* II. P. I. p. 718.
(*u*) *Inſtit. mat. med.* p. 573.

„ igne reverberii calcinata reliquit cinerum fuſco-
„ rum unc. j, dr. j, gr. 10; ex quibus ſalis alcali
„ fixi dr. 2, gr. 40. lixivio extracta ſunt. In de-
„ ſtillatione partium deperditio fuit unc. 8, dr. 6.;
„ in calcinatione unc. 7, gr. 53. (*v*). "

In bruno vel rubro olei proportio etiam major eſt. Aëris magna vis per aquam excutitur, ut rubrum cum partibus æqualibus aquæ generaverit aëris novies quantitatem molis ſacchari (*w*).

Ergo materiem habet ſaccharum nutriendo idoneam: & cur non haberet ſuccus lentus, unctuoſus, ſulphureus? dum fatuo quidem, aquoſo, molli, uvido gramine ſaginari pecudes cernimus. Quin ſal eſſentiale quadrupedum & hominis eſt dulce ſaccharo analogum: & alimenta vera, farinæ, fructus, radices, herbæ, carnes ipſæ & pinguedines, aliquid dulcedinis habent.

Evicit experientia, Indorum mancipiis ſtrenue operantibus pro alimonia ſufficere reliquias a ſecunda ſacchari ebullitione remanentes (*x*). Canadenſes longum iter ſuſcepturi compendiarium quendam ſibi pa-

(*v*) Vid. GEOFFROY *l. l.* p. 744.
(*w*) Vid. J. RUTTY *Mat. med. antiq. & nov.* p. 445.
(*x*) Conf. G. PISO *hiſt. nat. & med. Ind.* L. IV. c. I.

parant cibum valde nutritium ex ſaccharo cum farina e maïdis ſemine confecta, vocantque *Quitſera*, notante KALMIO (*y*). Solo ſyrupo & aqua per quindecim menſes vitam fuiſſe ſuſtentatam tradidit Cl. POUTEAU (*z*). Neque aliter intelligi debet nonnullorum inedia uno lactis ſero per annos tolerata, quod quippe omnes, quas poſſidet, vires ſaccharo ſuo copioſo debet (*a*). Cunctis hisce colophonem addit, dummodo verum, quod narratur de porcis per ſacchari fæces mirandum in modum pinguescentibus, adeo, ut tam delicata caro comparetur, quæ nulli ſit inferior gallinaceæ, & ægrotis detur in cibum (*b*). Dubitandi vero cauſſam facit duplex obſervatio, altera quod ſaponacea & abſtergente ſua virtute pinguedinem nimis ſolvendo macilentiam inducat (*c*); altera, quod oleum non ſinat forte de ſan-

(*y*) *In Actis Suecic.* a. 1751. T. XIII. Conf. UNZER. *de Artz* IV D. I ſt. bl. 95.

(*z*) Vid. *Comm. de reb. in ſcient. nat. & med. geſtis.* vol. XII. p. 429.

(*a*) Exemplum paſtoris Angl. ſero lactis diutiſſime viventis, ex Transact. philoſ. deſumtum narratur. *in Biblioth. Britann.* Tom. XXI. P. 2. p. 359.

(*b*) Sic habet J. C. SCALIGER *de ſubtilitate ad Cardan. Exercit.* CLXIV. p. 518. *ed. Francof.* 1665. 8.

(*c*) Vid. BOERHAAVE *in El. Chem.* T. II. p. 160,

ſanguine ſecedere, quum lacti additum butyri ſeparationem prohibet (*d*). Et hoc poſtremo proficuum quoque in aſitia uſum præſtitit ſaccharum, cavendo, ne adipe ſuo blando, humorum acrimoniam avertente, orbetur ſanguis. Fermentandi promtitudine novum fortaſſe corpori ſtimulum addidit. Antiſeptica & demulcendi vi putredinem aut alias corruptiones prævertit temperavitque. Sic multo nomine excellentiſſimum in inedia præſidium in ſaccharo reperitur.

De cæteris ſucci hujus utiliſſimis, ſanitati amiciſſimis, nec ſat laudandis qualitatibus cum plerique materiæ medicæ ſcriptores admodum prolixe tractaverint, nihil ego ſuperaddam. Id tamen ſingulare memorandum, binos fuiſſe homines, qui hac dulcedine adeo delectabantur, ut, cum unus quicquid aſſumeret ſaccharo condiret, alter etiam quotidie ſpatio 40 annorum integram fere libram devoraret, uterque tamen cum proſpera valetudine ſeram ſenectutem fuerit conſecutus, illæſis non ſolum, quod rarum, dentibus, ſed & nata alterutri, octogenario majori, nova plane dentium ſerie (*e*).

Sed

(*d*) Vid. *Uitgezogte Verhandel.* D. IX. bl. 585.

(*e*) Vid. *Philoſ. Transact.* vol. XXVIII. n. 337. p. 273. aut harum *Epitome* vol. V. p. 353., *Vaderl. Letter-Oeffen.* V. D. I ſt. bl. 80. UNZER *de Artz* IV D. 1 ſt. bl. 95.

Sed non omnem etiam paginam ſolum abſolvit ſaccharum; huic enim mixtam farinam feciſſe bolos illos ſaccharatos antea notavimus, quibus multum femina veſci conſueverat, inſigni nutrimenti genere.

§. XIII. 4°. Progredior ad *Juniperi Spiritum*, de quo nihil aliud dicendum habeo, quam quod vix mihi videatur veri quicquam alimenti ſuppeditaſſe; profuiſſe tamen vi ſtimulante, roborante, balſamica, antiſeptica, ipſum quoque famis ſenſum prævertente; nam & helluonibus, quibus ſpirituoſum nectar & vitam & animum conſtituit, moleſta nunquam percipitur fames.

§. XIV. *Aëra* quoque alere perhibent. An vere? Sunt nonnulla, quæ huic favent ſententiæ. Occultum latet pabulum, ſine quo nec vita animantium ſubſiſtere, nec vegetare plantæ poſſunt. Sed & ineſt apertum: innumerabiles omne genus moleculæ per atmoſphæram late diffuſæ ſunt, terreſtres, aqueæ, oleoſæ, ſalinæ, ſulphureæ, & volitantia omnium rerum primordia, quæ ſub animalium ſtirpiumque reſolutione, putredine, maris & telluris exhalatione, continuo in auras rapiuntur, corporibus applicantur, patulis in latiſſima ſuperficie poris meatibusque attrahuntur, ſuguntur; inprimis cum magnam

gnam in aſitia opportunitatem concedat ſiccitas corporis bibula (*f*). Juvenem jejunium aliquamdiu perpeſſum duo de viginti humoris uncias per corporis habitum attraxiſſe ex aëre humidiori unius tantum noctis ſpatio obſervatione compertum habuit Jac. Keil. Stupenda illa ac citiſſime regenerata humorum profluvia, aſſumtorum pondus longiſſime ſuperantia, quæ in diabete, ascite &c. toties miramur, unde niſi ab aëre ſuſtentari putemus? Perſuadent idem multorum obſervationes. Bellinus animadvertit, pullum ex ovo prodire ponderoſiorem, quam eſſent liquores ejus, unde formatus ipſe fuit. Ovis autem extrinſecus aliquid accedere oſtendit Beccarius. Plantæ multæ, bulboſæ inprimis radices, aëris beneficio flores ac folia protrudunt; & ſemina, niſi libero fruantur aëre, effœta evadunt. Dicuntur etiam animalia quædam ſolo aëre poſſe vivere. Id de chamæleone aſſerit Plinius (*g*); quem etſi ſolo aëris alimento non veſci conſtet; annum integrum tamen inediam tolerare affirmant alii (*h*). De

(*f*) Cl Gaubius *in Pathol.* §. 453.

(*g*) *Hiſt. nat.* Lib. VIII. cap. 51. Conf. autem *not. ad h. l. ed.* Harduini. Et Licetus.

(*h*) Apud Scaliger. *de ſubtilit. exerc.* 196. p 604. cf. Licet. *de his, qui diu vivunt ſine alim.* p. 31. Lib. II.

De viperis idem ferunt (*i*). Eſt itaque probabile, aëra quoque in partem nutritionis veniſſe. Neque hanc ei facultatem denegarunt HIPPOCRATES (*k*), BECCARIUS (*l*), HALLERUS (*m*), WALLERIUS (*n*), & alii.

Odoris in alendo efficaciæ nulla hic mentio facienda eſt, licet unum alterumve exemplum afferant nonnulli (*o*).

§. XV. Habetis jam cuncta, quæ, dum viveret femina noſtra, quotidie per ſex annos aſſumſit. Paulo plus etiam alimenti in initio ex lactis cum coffea uſu hauſit. Ambiens aër, corpus qua data porta penetrans permeansque, advexit pariter, quibus pabulum ſubminiſtrare potuit. Ex quibus omnibus id conſequi reor, revera in *aqua*, *thea*, *ſaccharo*, præſertim *farinaceo*, *juniperi ſp.*, & *aëre*, tantum latuiſſe, quan-

(*i*) In *Comm. Bonon.* Tom. II. Quarum tamen inediæ longe aliam rationem reddit MEAD *L. de Venen. tract.* I.

(*k*) Lib. *de Flatibus* p. m. 401. vol. I. *ed.* L.

(*l*) In iisdem *Comm. l. l.*

(*m*) *Primis lineis Phyſiolog.* p. 136.

(*n*) In *Specim. de princip. Vegetationis* §. 17.

(*o*) Vid. ex *Ephem. Britann. p.* 131. Ill. VAN SWIETEN *Comm. ad aph. Boerh.* Tom. II. p. 42. Conf. SEBIZIUS *de alim. facult.* p. 1249.

quantum ad vitam utcunque ſuperſtitem ſervandam opus fuerit: nec mirum proinde eſſe, ab aſſumtis æque ac inquilinis primarum viarum liquoribus, particulam fæculentam ſeceſſiſſe; quum & ſaccharum, rubrum inprimis, ac farina hac abundet, & in utero foetus ex tenui, quo alitur, ſucco, meconium colligat. Quî tamen factum ſit, ut perfectisſima ſanitate, omnibus functionibus integris, ac valido corporis robore, gaviſa fuerit mulier, præter ſingulariſſimam diatheſin ac conſuetudinis vim (*p*), in arcana quadam naturæ lege poſitum fuiſſe videtur, quam mirari quidem, non interpretari licet. Quod recte jam innuit CITESIANUS ille poëtaſter:

Sit natura hominis paucis contenta, famemque
Eſca levet tenuis, parvaque pocla ſitim;
Non tamen his prorſus valet illa carere, nec ulli
Jejuno ſemper corpore vita manet.
Unde igitur mulier *tam longo tempore vitam*
Nullis fulta cibis, & ſine fraude trahit?
Contendant Phyſici: cauſſam potes alme Palæmon
Naturæque opifex reddere, nemo poteſt.

§. XVI.

(*p*) „ Conſuetudine inducitur demum menſæ parciſſimæ ne„ ceſſitas, atque intolerantia ejus etiam demenſi, quo natura „ eget." Cl. GAUBIUS §. 452.

§. XVI. Quid docent phænomena, in *lotio* obvia? (Cap. II. §. VIII.) Viderit,

Ingenium cui ſit, cui mens divinior, —— (q)

Non pudet meam profiteri ignorantiam. Mirum ſane, ſi quod aliud, phænomenon, cui forte ſimile nunquam extitit! Expoſita vitæ potentiis urina fuit, circulum cum ſanguine abſolvit, per ſolitas cloacas exiit; nec tamen animalitatis (ſit venia verbo) individuum characterem habuit impreſſum. Salinum abfuit principium. An ergo in cruore remanſit? Aut non generatum fuit? Solis quidem aceſcentibus mulier uſa fuit. Sed anne ipſæ carnes & alia hujus generis alimenta in primis viis acorem prius ſubeunt, quam in ſecundis alcalinam ſequuntur indolem? Herbis nutritus bos urinam excernit lixivioſam, ſalinam, brevi putreſcentem. Aliam itaque ſubeſſe cauſſam oportet. Et latet hæc in ipſo fortaſſis lotio; quod ſi intus habuerit facultatem quandam privam, alcaleſcentiam & σῆψιν prævertentem, erit, unde illuſtrari hæc res poſſit. At qualis illa? Acidum in corpore nonnunquam adeo apertum fuit, ut ſudor aci-

(q) HORAT. Lib. I. Sat. IV.

acidus & ros pariter abdominis acorem ſpiraſſe obſervati fuerint Cl. ROSENIO, LUDWIGIO, SEILERO. Idem an in urina abundavit? Vitriolici certe acidi ſuſpicionem injicit excuſſum ex aqua forti, mercurio impraegnata, minerale iſtud turbith; niſi ſtatuendum ſit, alio modo, hactenus incognito, turpethum produci poſſe. Sed aſſumtum etiam vitriolum vix ſufficere potuit tantæ liquidi in putredinem proclivitati moderandæ, aut plane tollendæ, quum alias nullas, præter unam hanc, ſuæ præſentiæ notas manifeſtaverit. Reſtat ulterius de origine hujus acidi quæſtio. Per atmoſphæram oberrare acidum conſtat, a bibulis cutis vaſculis non difficulter ſuſcipiendum, quod probant aquæ fortis deſtillatores. Atqui nitroſum illud eſt, quod aëris videtur incola. Vitriolicum ſane, quanquam plerique ætheris ſobolem exiſtimaverint, ideoque vagum, primigenium, catholicum dixerint, haud leves dubitandi rationes habet, cur repudietur. Aut ſi largiamur, erit per accidens, nec diu inhærere poterit.

Nonne credendum potius, aquis inſinuatum corpus intraſſe, ac ſanguini miſtum dein urinam vi ſua impertiiſſe? Ineſt ſane tantum non omnibus aquis, præſertim Trajectinis, aliquid ſelenitici. Exigua autem hæc quantitas poſſet forte turpethum ſiſtere;

at

at lotium a corruptione defendere non valet.

In ſola itaque obſervatione erit acquieſcendum; donec plura ac certiora rationis & experimentorum momenta tenebras diſpulerint.

CAPUT SEXTUM.

Exempla analoga.

§. I.

Dies deficeret, ſiquidem cunctas de diuturnis inediis obſervationes atque exempla huc colligere vellem; nec ſane moleſtum lectori faſtidium, mihique fruſtraneum laborem creare expedit, ubi alii bene multi tædioſo hoc opere ſatis ſuperque defuncti ſunt, & gratum ſic mihi otium fecerunt. Nam pleni ſunt omnes libri, plena exemplorum vetuſtas. Illuſtrem adi Hallerum (*r*), & innumeras aſitorum, hominum æque ac animalium, offendes hiſtorias. Egre-

(*r*) *Elem. Phyſiol. Tom.* VI. *a. p.* 168. & ad *Prælect. in inſt. Med. Boerh. T.* III. *p.* 633. (*d*) Conf. Ejusdem *Bibliotb. Anat. Tom.*I. p. 292. 295. 296. 361. 322. 594. 636. 774.

Egregiam in iisdem exponendis operam navavit Doctiſſ. Chr. Joach. Loszau (*s*), qui præter notabilem, quam deſcripſit, *Mariæ Jehnfels* apoſitiam omnes quoque, quotquot de hac materie egerunt, Scriptores accurate recenſuit, dijudicavitque. Octodecim præterea annorum inediam ſolo ſub uſu aquæ, ſeri lactis, & hordei decocti, transſcripſit Thomas Umfreville (*t*). Femina per novem annos ſopita alibi traditur (*u*). Puellæ ab omni cibo potuque abſtinentiam quadriennem habet Fontenettes (*v*). Similem fere Schraderus (*w*). Alias narrarunt Morgagne (*x*), Kaau Boerhaave (*y*), Tis-

(*s*) Vid. Ejus *Wahrhaffte und ausführliche Beſchreibung eines beſondern und merckwürdigen* caſus inediæ, *welcher ſich im jahr* 1728. *mit eines Gärtners Tochter aus Steinbeck im Hollſteiniſchen bey Hamburg, nahmens* Maria Jehnfels *zugetragen.* &c. *Hamb.* 1729. 4.

(*t*) In *the caſe of Mr. John Ferguſon, of Argyleshire in Scotland, who hath lived above eighteen years only on water, whey, or barley-water;* &c. *Lond.* 1743. 8.

(*u*) Ex *Act. lit. Mar. Balth.* ap. Hallerum. *Bibl. Anat. Tom* I. p. 580.

(*v*) *Diſſ. ſur une fille de Grenoble, qui depuis quatre ans ne boit ni ne mange. par M. Fonten. Medecin. de Poitiers* 1737. 4.

(*w*) In *obſ. rarior. faſcic.* I. *obſ.* 1. *Guelph.* 1760. 8.

(*x*) *De Sed. & cauſſ. morb. ep* XXVIII. *art.* 4. *& ſeq.*

(*y*) *Impet. fac. Hipp.* §. 456.

Tissot (z). Plures paſſim in diverſis occurrunt *Diariis* & *Commentariis* (a).

§. II. His tandem omnibus non poſſum non addere inſignem exemplorum ſeriem, quam pro communi ſuo bonarum artium ſtudio ex immenſa lectionis ubertate ſuppeditavit Ampliſſimus R. M. van Goens, Civitatis Rheno-Trajectinæ cum maxime Senator, Vir ſumma ingenii & eruditionis laude polyhiſtor non immerito dicendus: „ *Matth. Paris Hiſt. Angl. p. 276. ed. opt.* Eodem anno (1226.) „ in urbe *Legrecertienſi* obiit puella quædam incluſa „ religioſa; quæ per ſeptennium ante obitum, nullum omnino guſtavit cibum: niſi quod diebus Dominicis corporis & ſanguinis Domini communionem

(z) *Epiſt. Med.-Pract. p.* 85.

(a) Vid. Ex *Mem. de Med. & Chir. Franc.* Platners *Brieven n.* XXXI. *bl.* 12. *Mem. de l'Acad. Roy. des Sciences de Paris* a. 1756. p. 49. & a. 1761. p. 59. aut ex his *Uitgezogte Verhandel. D.* VIII. bl. 123., *Commerc. Noric.* a. 1731., *Journal de Med. Chir. &c. par Roux Tom.* XXIII. p. 133., *Ephem. N. C.* a. VIII. *obſ.* 68., *London Chronicle* n. 2308 1771. *Sept.* 26—28. ubi hoc lepidi occurrit: „ A correſpondent informs us, that a perſon „ at Helpſton near Stumford, lately kept himſelf on drink only for ſeven weeks and two days, (without taſting any kind „ of ſolids, or even milk) for a wages of ten pounds."

Conf. etiam *'s Gravenhaegſe Courant* a. 1774. 9 *Maart.*

„ nem acceperit. Quod miraculum, cum ad au-
„ dientiam *Hugonis Lincolnienſis* Epiſcopi perveniſ-
„ ſet, fidem non adhibuit veritati: ſed incredulus
„ plane fecit per dies quindecim a presbyteris &
„ clericis incluſam prædictam arcta nimis obſervari
„ cuſtodia: quousque compertum fuit, illam in to-
„ to termino memorato nullo uſam fuiſſe corporis
„ nutrimento. Faciem quoque ſemper habuit ut li-
„ lium candidiſſimam, roſeoque rubore perfuſam,
„ ad indicium pudicitiæ & munditiæ virginalis.
„ (conf. *Lelandi Collectanea de antiquitatibus Britan-*
„ *nicis vol. 3. p. 337. ed. nov.*)

„ Laudantur præterea ſeqq. *Hermanni Corneri Chro-*
„ *nicon ap. Eccard. Corp. hiſt. medii ævi* T. II. p. 446,
„ *Proſper Aquitanicus in libro de dimidio temporis* cap. 6.
„ *p. 65. ed. Duac.* a. 1577. 8, *L. G. Gyraldus Op.* T.
„ II. p. 892, *Hieron. Mercurial. Var. lect. lib. 6. c.* 12.
„ *& in l. 2. Epid. Hipp. Præl. Bonon.* p. 66, *P. Franc.*
„ *de Mendoza in Viridario Sacræ & profan. eruditionis*
„ (*Col. Agr.* 1691. 8.) *lib.* IV. *probl.* XXIV. p. 262, *A.*
„ *Caroli Memorab. Hiſt. Eccl. Sec.* XVII. *Lib.* I. c. 14.
„ p. 48. c. 63. p. 221. L. III. c. 28. p. 600. L. IX.
„ c. 7. p. 266. c. 35. p. 372, *Merkwürdige Geſchich-*
„ *te und Denkwürdigkeiten, welche zich zeit* 1755.
„ *bis* 1768. *zugetragen haben* (*Leipſ.* 1769. 8) *vol.* I.

„ p.

„ p. 472. ſeqq. *Expoſition des variations de la Natu-*
„ *re dans l'Eſpece humaine* (Pariſ. 1771. gr. 8.)
„ p. 78. ſeqq."

§. III. Anatomen hominum & animalium inedia abſumtorum inſtituerunt Cl. BONETUS, (*b*), RUYSCH (*c*), VALSALVA (*d*) J. J. PEIERUS (*e*), SCHRADER (*f*); & conſtanter fere deprehenderunt ventriculum & inteſtina contracta, liquido flaveſcente mucoſo referta, fellis veſiculam bile ultra modum diſtentam (*g*), ſanguinem in vaſis concretum. Ipſe catulum ſola aqua refectum per viginti &

(*b*) *Sepulcr. anat.* Lib. III. Sect. 10. obſ. 18.

(*c*) *Obſ. anat.-chir.* XIX. ubi tamen cyſtis fellea fere erat vacua. Conf. obſ. LXVIII.

(*d*) Apud MORG. *de ſed. & cauſſ. m. per anat. indag. ep.* XXVIII. art. 6.

(*e*) *Obſ. anat.* I. & VII.

(*f*) ſupra laud. Anatome fame enectorum eſt etiam in *Ephem.* N. C. Dec. II. a. VII. obſ. 17, 18.

(*g*) Si verum eſt, bilem non exprimi niſi tumente a cibis ventriculo, manifeſta eſt ratio: et affirmat quidem continuo MORGAGNE *Adverſ. anat.* III. *animadv.* XXVI. item *epiſt. anat.* II. *art.* 51. in fine & *Lib. de ſed. & cauſ. m.* ep. XXVIII. art. 6: negat vero MARHERR *in prælect. ad inſtit. Boerh.* Tom. I. p. 416. & HALLERUS *ad Boerh. Præl. in inſt. ſuas* Tom. I. p. 419. not. (4).

& ſex dies ſervavi. Extinctum ſecui, amico noſtro DU PUI præſente. Ventriculus & inteſtina craſſa penitus inanita erant, rubella tantum tenui materia intus obducta, inflammata, contractiora, colon præſertim multis cellis diſtinctum (*b*); tenuia atra bile tenui impleta. Bini in ſtomacho lumbrici reperti, at mortui. Hepar, mole ingens, cyſtidem gerebat felle turgidam. Diaphragmatis tendinea pars adeo extenuata cernebatur, ut pulmo tranſluceret. Sanguis in vena cava & cordis cavitatibus totus erat coactus: unde mirari ſubit, ſcripſiſſe Ill. VAN SWIETEN (*i*), quod „ per inediam „ necatis animalibus ſanguinis coagula in vaſis non „ inveniantur "; quum & VALSALVA contrarium quoque vidit, & ipſum in ſinu falciformi polypum hærentem detexit PEIERUS. Viſcera reliqua nihil præter naturam monſtrabant.

EXPLICIT DIATRIBE.

(*b*) Quæ cellulæ cæterum in canibus raræ ſunt & paucæ Vid. MORG. *epiſt. anat.* XIV. art. 20. & *Lib. de ſed. & cauſ. m.* ep. III. art. 2.

(*i*) *In Comment. ad Aphor. Boerh.* Tom. I. p. 255.

TABULARUM EXPLICATIO

TABULA I.

Exhibet Cadaveris abdomen apertum, inque eo naturalem viſcerum ſitum.

A A A A	Cutis cæteraque abdominis integumenta, cruciata ſectione diviſa, & reflexa.
B B	Ligamentum hepatis medium ſive ſuſpenſorium, hic non excurrens ad diaphragma usque, ſed medio circiter magnæ hepatis ſciſſuræ loco deſinens, cum interna muſculi recti ſuperficie, cui annectitur, reclinatum.
C C	Hepar.
D	Veſicula fellis.
E	Omentum.
F	Ventriculi pars.
G	Portio ſplenis.
H H	Inteſtinum Colon.
i i i	Faſcia coli ligamentoſa ex tribus una.
KKKK	Tenuia inteſtina.

TABULA II.

Surſum retracto hypochondrio dextro, reflexo hepate, ac deorſum pulſo inteſtino colo, ſiſtit partes, his viſceribus antea tectas.

A	Facies jecinoris poſterior, concava.
B	Ventriculus totus.

C


C Inteſtinum duodenum.
D Turgida cyſtis fellea.
E Ductus Choledochus.
F Lien.

TABULA III.

Monſtrat craſſi inteſtini progreſſum & finem, ſuperjacentibus inteſtinis tenuibus dextrorſum ſemotis, hic autem velamine tectis.

A Flexus coli ſigmoïdeus alter, qui ſub liene eſt.
B Prima hujus inteſtini coarctatio.
C Levis quædam dilatatio.
D Conſtrictio coli altera inſignis.
E Initium recti inteſtini, in ſaccum latiorem expanſum.
F Ejusdem finis, tertiam, eamque validam, inteſtinorum contractionem ſiſtens.
g Uterus.
h Ren ſiniſter.

TAB. I.




B. de Bakker fecit.

TAB. II.



B. de Bakker fecit.

TAB. III.



B. de Bakker fecit.

259